NATALEM TRIGESIMUM SEXTUM

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS

AC DOMINI

FRIDERICI GUILIELMI

PRINCIPIS ELECTORALIS, CONSORTIS REGIMINIS HASSIAE ETC.

LAETANTI PATRIAE SACRUM

AB

ACADEMIA MARBURGENSI

DIE XX AUGUSTI

ORATIONE

IN AUDITORIO MAJORI HABENDA CELEBRANDUM

INDICIT

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN,

PH. D. AA. M. PHILOLOGIAE P. P. O. ET SEMINAR. PHILOL. DIRECTOR,
BIBLIOTHECAE ACADEMICAE PRAEFECTUS SECUNDARIUS.

Inest disputatio de Socratis magistris et disciplina juvenili.

MARBURGI,
TYPIS BAYRHOFFERI ACADEMICIS. MDCCCXXXVII.

1837

Neminem fugit, quantis studiis contentionibusque et olim et ad hunc usque diem agitata sit quaestio de ingenio et doctrina Socratis Sophronisci filii Atheniensis: quem quum uno ore omnes tam mentis egregia indole et disserendi facultate haud mediocri, quam prudentia, gravitate, innocentia principem inter aequales suos locum obtinuisse profiterentur, in existimandis tamen ipsius placitorum causis omnisque ejus disciplinae rationibus ac meritis in diversissimas partes abierunt. Quippe alii vanas declamationes captantes ex praestantissimi viri laudibus sibi quoque aliquid gloriolae quaerebant, alii, ut est invida et malevola hominum natio, in eo sibi plaudebant, si de ejus honore, in quo celebrando ipsum genus humanum concinere viderent, quippiam detraxissent; dumque alii, neglecta temporum memoria, nescio quam universae humanitatis formam secuti, non veri studio sed suae qualiscunque opinionis comprobandae ardore ducebantur, alii literarum vestigiis adstricti ad interiorem ejus notitiam ne adspirare quidem audebant; unde factum est, ut quem alii velut dato negotio circa imae plebeculae subsellia haesisse neque ultra vitae quotidianae fines evolasse jactarent, alii arcanam quan-

dam disciplinam familiaribus suis tradidisse affirmarent, cujus vel apud Platonem tenuia tantum vestigia exstarent, quemque alii ipsi sanctissimae nostrae religionis auctori divino comparare non dubitarent, alii non multum abfuerit quin inter praestigiatores impostoresque generis humani rejicerent, eundem denique alii omnis sapientiae facile principem, alii vix dignum judicarent, qui in philosophorum numero censeretur; atque etiam si nostrae aetatis sobrietas ab utraque parte aliquid relaxavit et concessit, nondum eo perventum est, ut de loco, quem ei in philosophiae historia tribui oporteat, idem omnes sentiant. Quamvis enim fontibus diligentius excussis, qua in re nostra conditio melior esse videtur, apparuerit, nec summas nec nullas Socratis partes fuisse in eo orbe, quo sapientiae semina Delphici illius tripodis instar per veterum philosophorum manus divina lege tradita sunt, ipsi fontes tantum abest ut eodem omnes conducant, ut qui Platonem audiat, Socratem acerrimum sophistarum adversarium, qui Aristophanem, ipsum maximum sophistam inveniat, qui nihil ei praeter morum emendationem tribuat, Xenophontem, qui prima scientiae elementa ab eo repetat, Aristotelem auctorem prae se ferat, utque haec inter se conciliari posse concedamus, illa semper controversia manebit, utrum eum suo sibi ingenio viam muniisse an antecedentium vestigiis inhaesisse arbitremur; quorum etsi prius ipsa veterum testium auctoritate commendari videatur, qui eum primum, omissa naturae scrutatione

spinosarumque quaestionum argutiis abjectis, quasi e coelo philosophiam devocasse et de vita humana rebusque bonis ac malis disputare coëgisse narrant, tamen et alterum inventi sunt qui antiquis testimoniis confirmare conarentur [1]), idque vel diversarum partium studiosis ita persuaserunt, ut juvenem certe Socratem his quoque studiis operam dedisse, senem demum factum, quum minus ei satisfacerent, ad moralem philosophiae partem transiisse conjicerent [2]); quo facto suum cuique judicium de summa rei propriisque philosophi meritis integrum manere videbatur. Ego vero quum Platonis illustrandi causa in Socratis quoque memoriam diligentius inquirerem, hoc mihi intelligere visus sum, nisi comperta via atque itinere, quo quisque ad suae sapientiae culmen pervenerit, nullius philosophi rationes recte existimari posse, longeque aliud non modo de laudibus Socratis sed etiam de placitorum ipsius indole et natura judicium fore, si ejus ingenium prima doctrinae semina in se gesserit nec nisi dia luminis aura ad ea procreanda indiguerit, ac si aliunde concepta suis viribus promoverit tantum atque auxerit [3]); neque in iis tantum subsistendum ratus, quae ad ipsam philosophiam

1) Cf. F. A. Wolfium in Interpr. German. Nubium Aristoph. (Berl. 1811. 4), p. X sqq., Reisigium in Praef. ad Aristoph. Nubb. p. XII sqq., Fritzschium in Quaestt. Aristoph. (Lips. 1835. 8) p. 126 sqq.

2) Cf. Rötscheri librum qui inscribitur Aristophanes und sein Zeitalter (Berlin 1827. 8) p. 298; Brandis Grundlinien der Lehre des Sokrates, in Niebuhrii Rhein. Mus. T. I, p. 129 sq.

3) Geschichte und System der platon. Philos. T. I, p. 233.

rerumque cognitionem pertinerent, ipsaque rei novitate inductus, quia neminem adhuc data opera hanc quaestionem tractasse videbam [4]), redeunte cum optimi Principis natalibus scribendi opportunitate, quidquid apud antiquos de disciplina Socratis juvenili magistrisque quibus in quocunque artium genere usus esset traderetur, ita colligere institui, ut jam detractis externis augmentis quantum sibi ille debuerit clare appareret; quod quomodo mihi successerit, aliorum judicium esto; argumentum certe tantorum solemnium majestate vix dignius eligi potuisse arbitror. Sive enim magnitudinem rei spectamus, haud scio an nihil magis ad omnium eruditorum notitiam pertinere videatur, quam ejus hominis incrementa, unde totam posterioris aevi sapientiam originem cepisse constat, sive difficultatem, ne hac quidem in causa antiquos testes inter se consentientes habemus, quorum quum alii Socratem omnia quasi divino munere nactum esse velint, alii magnum praeceptorum numerum recensent, quos in variis disciplinarum generibus habuerit, quemque Cicero affirmat totius Graeciae judicio quum prudentia et acumine et

---

4) Obiter tantum attigerunt, qui de Socratis vita placitisque in universum scripserunt, Charpentier (la vie de Socrate, Amsterd. 1699. 8, p. 15 sqq.), Bruckerus (Hist. crit. philos. T. I, p. 524 sqq.), Hackerus (Imago vitae morumque Socratis e scriptt. vetustis expressa, Viteberg. 1781. 4, p. 19 sq.), Meiners (Geschichte des Ursprungs, Fortgangs und Verfalls der Wissenschaften T. II, p. 348 sqq.), Stapferus (de philos. Socratis, Bernae 1786. 8, p. 90), Wiggers (Sokrates als Mensch, als Bürger und als Philosoph, Neustrelitz 1811. 8, p. 16 sqq.) etc., quorum tamen dici non potest quomodo alter alterius vestigia secutus errorum quoque longam seriem traxerit.

venustate et subtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam se cunque in partem dedisset, omnium facile principem fuisse [5]), alii ut Porphyrius [6]) adeo nobis stupidum incultumque fingunt, ut isiciarii illius Aristophanei instar [7]) vix literarum elementis et ne iis quidem satis imbutus fuerit; quae quum ita sint, vel si minus hujus quaestionis momentum ad ipsam ejus philosophiam existimandam foret, philologum certe tantas lites non injudicatas relinquere deceret. Porphyrii quidem dicacitati facile opponi possit Platonis auctoritas, qui Socratem suum a parentibus quamvis tenui fortuna usis, ut ingenuo dignum fuerit, rite et legitime educatum esse testatur [8]), neque omnino veri simile est eum, qui optimas indoles maxime disciplina indigere dixit [9]), aut nihil doctrinae ad excolendum ingenium

---

5) Cic. de Oratore III. 16.

6). Apud Theodoretum in Graec. affect. curat. l. I (T. IV, p. 702 ed. Schulze): *πᾶν γὰρ τοὐναντίον φησὶν ὁ Πορφύριος, λέγει δὲ οὕτως· εἶναι δὲ αὐτὸν πρὸς οὐδὲν μὲν εὐφυῆ, ἀπαίδευτον δὲ περὶ πάντα, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν· σχεδὸν γὰρ οὐδὲ γράμματα πάνυ τι ἐπίστασθαι, ἀλλ' εἶναι γελοῖον, ὁπότε τι δέοι ἢ γράψαι ἢ ἀναγνῶναι, βατταρίζοντα ὥςπερ τὰ παιδία.*

7) Equitt. v. 189; cf. Quinctil. I. 10. 18.

8) Plat. Crit. p. 50 D: *ἀλλὰ τοῖς περὶ τὴν τοῦ γενομένου τροφήν τε καὶ παιδείαν* (scil. *νόμοις μέμφει*), *ἐν ᾗ καὶ σὺ ἐπαιδεύθης; ἢ οὐ καλῶς προςέταττον ἡμῶν οἱ ἐπὶ τούτῳ τεταγμένοι νόμοι, παραγγέλλοντες τῷ πατρὶ τῷ σῷ σὲ ἐν μουσικῇ καὶ γυμναστικῇ παιδεύειν;* cf. Wyttenbach. ad Plut. Morr. p. 37.

9) Apud Xenoph. Mem. Socr. IV. 1. 3: *οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἐπὶ πάντας ᾔει, ἀλλὰ τοὺς μὲν οἰομένους φύσει ἀγαθοὺς εἶναι, μαθήσεως δέ καταφρονοῦντας ἐδίδασκεν, ὅτι αἱ ἄρισται δοκοῦσαι εἶναι φύσεις μάλιστα παιδείας δέονται:* cf. II. 6. 39: *ὅσαι δ' ἐν ἀνθρώποις ἀρεταὶ λέγονται, σκοπούμενος εὑρήσεις πάσας μαθήσει τε καὶ μελέτῃ αὐξανομένας,* et III. 9. 2, quibus plura addit Valckenaer. ad Eurip. Hippolyt. v. 79.

adhibuisse aut parum ingenii ad eam doctrinam attulisse, qua ipse Porphyrius alio loco eum juventutis vitia correxisse narrat [10]; ne tamen cupidius disputare videamur, quoniam et Plato virum bonum etiam sine disciplina divinitus exsistere posse suadet [11], et Plutarchus vel defectum ingenii recta institutione reparari censet [12], ipsi denique, qui utrumque in Socrate conjungunt, de magistrorum numero parum inter se consentiunt, tripartita disputatione ita procedemus, ut primum quidem Maximi Tyrii sententiam, qui nihil fere arti in Socrate effingendo tribuit, paucis collustremus, deinde Aristoxeni fidem, quam Porphyrius in describenda philosophi adolescentia imprimis secutus esse

---

10) Apud eundem Theodoretum l. IV, p. 792: *καὶ γὰρ τὸν Σωκράτην τὸν Σωφρονίσκου φησὶν ὁ Πορφύριος, εἰς ἀκολασίαν ἡνίκα νέος ἦν ἀποκλίναντα, σπουδῇ καὶ διδαχῇ τούτους μὲν ἀφανίσαι τοὺς τύπους, τοὺς δὲ τῆς φιλοσοφίας ἐκμάξασθαι.*

11) Cf. Meno p. 99, quo de loco pluribus disputabimus in prooemio indici lectionum hibernarum praemittendo; nunc lectores theologiae studiosos remisisse sufficiet ad Justin. Martyr. Cohort. ad Gr. c. 35 et 37 et Clem. Alex. Stromatt. V, p. 588.

12) Plut. de Educ. c. 4: *εἰ δέ τις οἴεται, τοὺς οὐκ εὖ πεφυκότας, μαθήσεως καὶ μελέτης τυχόντας ὀρθῆς πρὸς ἀρετὴν, οὐκ ἂν τὴν τῆς φύσεως ἐλάττωσιν εἰς τοὐνδεχόμενον ἀναδραμεῖν, ἴστω πολλοῦ, μᾶλλον δὲ τοῦ παντὸς διαμαρτάνων*, ubi obiter moneo causam non fuisse cur Wyttenbachius *ἀναλαβεῖν* pro *ἀναδραμεῖν* corrigi juberet, neglecto scilicet Luciani loco adv. indoct. c. 4: *ἀλλ' ἑνὶ τούτῳ μόνῳ πάντα ἐκεῖνα ἀναδραμεῖσθαι νῦν ἐλπίζεις τῷ κτᾶσθαι πολλὰ βιβλία*, ut mittam Dion. Chrysost. Orat. XII, p. 204 etc. Ad sententiam autem cf. et Isocratem de Permut. §. 191: *καὶ μὲν δὴ κἀκείνους ἴσμεν τοὺς καταδεεστέραν μὲν τούτων τὴν φύσιν ἔχοντας, ταῖς δ' ἐμπειρίαις καὶ ταῖς ἐπιμελείαις προσέχοντας, ὅτι γίγνονται κρείττους οὐ μόνον αὑτῶν ἀλλὰ καὶ τῶν εὖ μὲν πεφυκότων, λίαν δ' αὑτῶν κατημεληκότων*, et ipsum Platonem de Legg. V, p. 747 B, qui arithmeticae potissimum eam vim tribuit, *ὅτι τὸν νυστάζοντα καὶ ἀμαθῆ φύσει ἐγείρει καὶ εὐμαθῆ καὶ μνήμονα καὶ ἀγχίνουν ἀπεργάζεται, παρὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν ἐπιδιδόντα θείᾳ τέχνῃ*: adde Lucian. de Gymnas. c. 20, Phot. Bibl. Cod. CLXI, p. 104 Bekk. etc.

videtur, breviter in judicium vocemus, postremo singulos, quos magistros habuisse dicitur, quanta per temporis angustias licebit diligentia examinemus. Aliquos sane etiam Maximus Tyrius enumerat, quorum disciplina Socrates usus esse videatur, nec defuerunt qui illum secuti philosophum ab Eveno artem poëticam, ab Ischomacho rem rusticam, a Theodoro geometriam accepisse traderent; quem tamen quum facile appareat horum omnium eo tantum consilio meminisse, ut quae per Platonis Xenophontisque libros praeceptorum vestigia exstarent, ironiae potius Socratis tribuenda esse significaret [13]), nos quoque in ejus sententia examinanda de his simul disputabimus, quo facto etiam illud lucrabimur, ut si quis una illius auctoritate falso inter Socratis magistros relatus sit, eum statim a limine disquisitionis nostrae rejiciamus. Nam Ischomachum profecto horum numero facile eximemus, quem etsi familiarem philosophi fuisse veri simile est [14]), apud Xenophontem in Oeconomico non tam docere

---

13) Integrum locum adscripsi ex Diss. XXXVIII, 4 (T. II, p. 225 Reisk.): *ὅτι μὲν ἐπιστήμην τιμᾷς παντὸς μᾶλλον, ὦ Σώκρατες, ἀκούω μέν σου πολλάκις διατεινομένου, προξενοῦντος τοὺς νέους ἄλλον ἄλλῳ διδασκάλῳ, ὅς γε καὶ εἰς Ἀσπασίας τῆς Μιλησίας παρακελεύῃ Καλλίᾳ τὸν υἱὸν πέμπειν, εἰς γυναικὸς ἄνδρα, καὶ αὐτὸς τηλικοῦτος ὢν παρ' ἐκείνην φοιτᾷς, καὶ οὐδὲ αὕτη σοι ἀρκεῖ διδάσκαλος, ἀλλ' ἐρανίζεις παρὰ μὲν Διοτίμας τὰ ἐρωτικὰ, παρὰ δὲ Κόννου τὰ μουσικὰ, παρὰ δὲ Εὐήνου τὰ ποιητικὰ, παρὰ δὲ Ἰσχομάχου τὰ γεωργικὰ, παρὰ δὲ Θεοδώρου τὰ γεωμετρικά· καὶ ταῦτα μέν σου τὰ εἴτε αὖ εἰρωνεύματα εἴτε καὶ ἀνδρίσματα ἐπαινῶ, ὅπως ἄν τις αὐτῶν ἀποδέχηται κ. τ. λ.* Ironiae Socratis multum in his tribuit etiam Stapferus p. 91.

14) Hoc certe colligere licet ex Plutarcho de Curios. v. 2: *καὶ Ἀρίστιππος Ὀλυμπίασιν Ἰσχομάχῳ συμβαλὼν ἠρώτα, τί Σωκράτης διαλεγόμενος οὕτω τοὺς νέους διατίθησι; καὶ*

Socratem, quam hujus ipsius vel potius Xenophontis de vita domestica liberaliter instituenda placitis commendandis praetendi videmus; Evenum autem Parium poëtam et sophistam [15]) tantum abest ut magistrum Socrati dare audeamus, ut vix propiore ejus consuetudine usum esse statuamus, quem apud Platonem se nec posse aemulari nec si possit velle satis clare significat [16]); utque Xenophonti credamus Socratem problematum geometricorum ne difficiliorum quidem prorsus ignarum fuisse [17]), non tamen inde sequitur, ut Theodoro Cyrenaeo quidquam debuerit,

---

μικρὰ ἄττα τῶν λόγων αὐτοῦ σπέρματα καὶ δείγματα λαβὼν οὕτως ἐμπαθῶς ἔσχε κ. τ. λ. num autem idem sit cujus filiam Calliae Hipponici filio nupsisse narrat Andocides de Myster. §. 124, non magis decernam quam quod Boeckhius quoque in Staatsh. d. Athener T. II, p. 12 in ambiguo reliquit, num Xenophon eundem tanquam exemplar boni patrisfamilias proponere potuerit, quem Lysias de Aristoph. bonis §. 46 testatur, quum septuaginta talenta habere visus esset, duobus filiis vix viginti reliquisse. Duos saltem diversae aetatis homines hoc nomen gessisse vel inde apparet, quod is quem Cratinus teste Athenaeo I, p. 8 tenacem appellavit, non idem esse poterat cum eo quem Araros Aristophanis filius et Heraclides Ponticus apud eundem VI. 31 et XII. 53 rem familiarem parasitis alendis perdidisse tradiderant.

15) De eo cf. Groen van Prinsterer Platon. Prosopogr. p. 94; Jacobs ad Anthol. Gr. T. III, P. 3, p. 893; Fischer ad Plat. Apol. p. 80; Goeller de situ Syracus. p. 118, qui tamen omnes nescio quomodo sibi imponi a Maximo Tyrio passi sunt.

16) In Phaedone p. 60 D, ubi Cebes, commemoratis carminibus, quae Socrates in carcere fecerat, *καὶ ἄλλοι τινές με*, inquit, *ἤδη ἤροντο, ἀτὰρ καὶ Εὐηνὸς πρώην, ὅ τι ποτὲ διανοηθεὶς, ἐπειδὴ δεῦρο ἦλθες, ἐποιήσας αὐτὰ, πρότερον οὐδὲν πώποτε ποιήσας*, Socrates autem: *λέγε τοίνυν*, respondet, *αὐτῷ, ὦ Κέβης, τἀληθῆ, ὅτι οὐκ ἐκείνῳ βουλόμενος οὐδὲ τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ ἀντίτεχνος εἶναι ἐποίησα ταῦτα, ᾔδειν γὰρ ὡς οὐ ῥᾴδιον εἴη, ἀλλ' ἐνυπνίων τινῶν ἀποπειρώμενος κ. τ. λ.*, ut appareat suam musicae tractandae rationem ab Eveno toto coelo abhorrere, idemque etiam in utriusque philosophiam cadere proxime sequentia satis docent p. 61 C; in Apologia denique p. 20 B et in Phaedro p. 267 A vanitatem illius aperte ridet.

17) Memor. IV. 7. 3: *τὸ δὲ μέχρι τῶν δυςξυνέτων διαγραμμάτων γεωμετρίαν μανθάνειν ἀπεδοκίμαζεν . . . καίτοι οὐκ ἄπειρός γε αὐτῶν ἦν.*

quem etsi inter principes suae aetatis geometras referre videtur, in Theaeteto tamen non sua sed adolescentum causa, quorum se studia curare ait, appellat [19]), neque omnino est cur Platonem illi ut Socratis potius quam ut suo ipsius praeceptori tam honorificum locum in dialogis suis concessisse dicamus [20]). Paulo difficilior quaestio est de duabus mulieribus, Aspasia et Diotima, quas quum non solum Maximus sed ipse Socrates Platonicus magistras sibi exstitisse jactet [21]), uno verbo removere neutiquam decet; quanquam re accuratius perquisita harum quoque partes si quid unquam recte Maximum ab ironia tantum sive Socratica sive Platonica repetiisse intelligemus. Et Diotimam quidem ea, quae apud Platonem in Convivio ex ipsius persona de amoris

---

18) Apud Xenoph. Mem. IV. 2. 10: *ἀλλὰ μὴ γεωμέτρης ἐπιθυμεῖς, ἔφη, γενέσθαι ἀγαθὸς, ὥςπερ ὁ Θεόδωρος*; cf. Plat. Politic. p. 257 A: *οὕτω τοῦτο, ὦ φίλε Θεόδωρε, φήσομεν ἀκηκοότες εἶναι τοῦ περὶ λογισμοὺς καὶ τὰ γεωμετρικὰ κρατίστου*; Paulo juniorem Anaxagora appellat Proclus in Euclid. II, p. 19.

19) Plat. Theaetet. p. 143 D.

20) Platonem Theodori institutione usum esse testantur Diog. L. III 6 et Appul. de habit. doctr. Plat. p. 159 Bip.

21) Aspasiae meminit in Menexeno p. 235 E: *καὶ ἐμοὶ μέν γε, ὦ Μενέξενε, οὐδὲν θαυμαστὸν οἵῳ τ' εἶναι εἰπεῖν, ᾧ τυγχάνει διδάσκαλος οὖσα οὐ πάνυ φαύλη περὶ ῥητορικῆς, ἀλλ' ἥπερ καὶ ἄλλους πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς πεποίηκε ῥήτορας, ἕνα δὲ καὶ διαφέροντα τῶν Ἑλλήνων, Περικλέα τῶν Ξανθίππου — Τίς αὕτη; ἢ δῆλον ὅτι Ἀσπασίαν λέγεις; — Λέγω γάρ*: Diotimae in notissimo loco Sympos. p. 201 D: *τὸν δὲ λόγον τὸν περὶ τοῦ Ἔρωτος, ὅν ποτ' ἤκουσα γυναικὸς Μαντινικῆς Διοτίμας, ἣ ταῦτά τε σοφὴ ἦν καὶ ἄλλα πολλὰ, καὶ Ἀθηναίοις ποτὲ θυσαμένοις πρὸ τοῦ λοιμοῦ δέκα ἔτη ἀναβολὴν ἐποίησε τῆς νόσου, ἣ δὴ καὶ ἐμὲ τὰ ἐρωτικὰ ἐδίδαξεν — ὃν οὖν ἐκείνη ἔλεγε λόγον πειράσομαι ὑμῖν διελθεῖν κ. τ. λ.* Utramque saepe conjungi docuit Grauertus ad Aristid. Decl. Lept. p. 123.

vi et natura disputantur, Socratem docere non potuisse, vel inde apparet, quia totus ille locus ad eam philosophiae partem pertinet, quam Plato primus condidisse potius quam ex Socratis ore accepisse traditur [22]); quem etsi hoc semper nomine gloriatum esse constat, ut nihil se praeter artem amatoriam callere diceret [23]), id tamen ipsum quam sententiam habuerit, Xenophon data opera ita ostendit, ut praeceptoris sui memoriam non solum ab adversariorum calumniis sed etiam a Platonis exaggerationibus vindicare velle videatur [24]), ut omittam Socratem, qui

---

22) Themist. de Praefect. c. 5, p. 447: *ἐπὶ δὲ τούτων διέμεινε τῶν ὅρων ὁ γνήσιος Σωκράτους χορὸς . . . Πλάτων δὲ ὁ θεσπέσιος μόνος ἅτε μεγαλοφυέστατος καὶ μεγαλοπρεπέστατος γεγονὼς, ἐκόσμησε πρῶτος φιλοσοφίαν τοῖς πολλοῖς ἀναθήμασι . . . προϊὼν δὲ καὶ αὐτὸν ὑπερέβη τὸν οὐρανὸν καὶ ἐθάῤῥησε περιεργάσασθαι, μὴ καὶ αὐτῆς τῆς φύσεως ἐστιν ἀνώτερον . . . καὶ μάλιστα ἴδιον τῆς Πλάτωνός ἐστι περινοίας ἀνάψασθαι τῶν θείων ἀγαθῶν τὰ ἀνθρώπινα κ. τ. λ.*: cf. Morgenstern in libro quem ex Anglico Germanum fecit, Entwurf von Platon's Leben (Lips. 1797. 8) p. 127 — 130 et Tennemanni System. d. platon. Philos. T. I, p. 279 sqq., imprimis autem Heusdium in Init. Phil. Plat. T. I, p. 198, ubi de ipsis sermonibus agens, quos Socrates cum Diotima habuisse dicitur, *hi autem*, inquit, *ita prorsus sunt Platonis, tamque accurate tradunt philosophi de ideis et summo philosophiae proposito sententiam, ut doctrinae Platonicae universae tantum non descriptionem contineant*, eandemque in sententiam etiam p. 187 annotat: *si quis quaerat, num reapse ita cum Socrate collocuta sit Diotima, ipse sermo dubitare nos jubet, quippe magnam partem plane Platonicus*, quo testimonio eo fidentius utimur, quo magis illum ceteroquin in exornanda Diotima modum excessisse inferius not. 26 et 33 videbimus.

23) Themist. Orat. XIII, p. 198: *ὁ δὲ οὕτως ἀτέχνως πρὸς τὰ λοιπὰ μαθήματα διακείμενος καὶ οὕτως ἀπισχυριζόμενος πρὸς τὸ κεκτῆσθαί τινα ἐπιστήμην, ὅμως τὴν ἐρωτικὴν τέχνην αὐτὸς ὁμολογεῖ*: cf. Xenoph. Mem. II. 6. 28 et Plat. Symp. p. 177 E, unde etiam personatus ille in Theage p. 128 B sua habet: *ἀλλὰ καὶ λέγω δήπου ἀεὶ, ὅτι ἐγὼ τυγχάνω ὡς ἔπος εἰπεῖν οὐδὲν ἐπιστάμενος πλὴν σμικροῦ γε τινὸς μαθήματος τῶν ἐρωτικῶν· τοῦτο μέντοι τὸ μάθημα παρ' ὁντινοῦν ποιοῦμαι δεινὸς εἶναι καὶ τῶν προγεγονότων ἀνθρώπων καὶ τῶν νῦν*: adde Max. Tyr. Diss. XXIV. 4, p. 459.

24) Cf. Memor. IV. 1. 2 et quae de utroque Convivio disputavi in Prooem. ind. lectt. Marburg. hib. 1834 — 35.

vel ea quae sua sibi industria comparasset dissimularet, non id potissimum sibi assumturum fuisse, quod alienae disciplinae deberet; tantumque abest ut, quod nonnullis olim placuisse video [25]), aut ipsius aut doctrinae ejus praestantiam ab aliquo Diotimae merito repetere liceat, ut vel qui plurimum illi feminae tribuunt, jam nihil amplius contendere audeant, quam Platonicae doctrinae illam quasi fundamenta quaedam posuisse [26]), et de eo tantum pugnent, ne quis omnino illam unquam exstitisse neget [27]). Quippe de hoc quoque ambigi posse dudum animad-

---

25) Ut Wiggersio, qui l. c. p. 24: *Diotima*, inquit, *eine Mantinenserinn, lehrte ihn die Liebe, worunter man, wie Fr. Schlegel trefflich bemerkt (Griechen und Römer S. 254) nicht vergängliche Freuden verstehen darf, sondern nichts anders als die reine Güte eines vollendeten Gemüths; ein Umstand, der zur richtigen Würdigung so manches Eigenthümlichen der sokratischen Lehre und Lehrart wichtig ist.*

26) Ut Heusdius l. c. p. 187: *nam si quid video, sensus amoris, sensus item religionis, ut hic sunt expressi, ab una proficisci sacra ejusmodi muliere potuerunt*, quod tamen, ut ingenue fatear, satis audacter, ne dicam temerarie sumtum mihi videtur. Amoris certe sensus apud Graecos in maribus multo magis quam in feminis excultos fuisse nota res est, sanctitatem autem quod attinet, Platonem omnibus suae aetatis sacerdotibus viris pariter ac mulieribus longe antepono, nec magis illum antistitae quam Homerum Musae ope ad coelestia sua placita concipienda indiguisse arbitror.

27) Omnium instar hic Creuzerus nobis erit, quo nemo unquam aut copiosius aut solertius Diotimae causam egit (in Wiener Jahrbb. 1831, T. LVI, p. 145 — 151), qui postquam tria sententiarum genera posuit, primum eorum qui Diotimae personam prorsus fictam censeant, secundum quasi medium quoddam, quod ipsam quidem vixisse sermonisque ejus fundamenta ex disciplina Graecorum arcana repetita esse statuat, orationem tamen formamque placitorum omnino Platoni tribuat, tertium denique eorum, qui revera mulierem Pythagoream talia praecepta Socrati juveni edidisse credant (p. 147), suum ipsius judicium his verbis comprehendit: *Plato wufste, vermuthlich von Sokrates selbst, dafs dieser in jüngeren Jahren einmal die Bekanntschaft dieser in pythagoräischer Lehre unterrichteten Priesterinn gemacht, hatte von demselben auch wohl Einiges aus dem Inhalte der mit ihr geführten Gespräche erfahren, und daraus ihre höhere Geistesbil-*

versum est, ea imprimis de causa, quia quamvis clarum ejus nomen apud antiquos scriptores fuerit, omnis hujus famae auctoritas ad unum Platonem redit [28]), cujus quum fides in rebus historicis tradendis neque in aliis dialogis neque in ipso Convivio satis firma inveniatur [29]), haud profecto difficilis est suspicio, mulierem, cujus nulla aliunde notitia ad nos pervenerit, ad praesentis demum disputationis usum fictam esse, ne Socrates ex sua ipsius persona disserere videretur, quae ab ejus ingenio et philosophandi ratione nimis abhorrerent; idque ne quis a Platonicorum librorum indole et artificio alienum censeat [30]), in

---

dung kennen gelernt; nachdem er in diesem Gastmahle nun durch die verschiedenen Reden der andern Sprecher den Leser endlich auf den Punct geführt, wo dieser aus Sokrates Munde die lezten Aufschlüsse über das Wesen des Schönen oder des Guten an sich vernehmen soll . . . wo es darauf ankam, thatsächlich zu zeigen, dafs die reine Liebe mit dem Geschlechtsunterschiede und selbst mit der edleren Männerliebe ganz und gar nichts mehr zu thun habe, wählt er jene historische Diotima, um durch sie, wenn auch etwa einige ihrer Gedanken, hauptsächlich jedoch seine eigenen Ueberzeugungen von der Liebe Einigung und Heiligung in Gott aussprechen zu lassen etc.

28) Sic F. A. Wolf. ad Plat. Symp. p. XLVI: *allein so ansehnlich auch diese Person nach dem was Sokrates von ihr sagt, im Alterthume gewesen seyn mufste, so findet man sie doch, so weit mir wenigstens bekannt ist, nur bei späteren Schriftstellern erwähnt, deren Zeugnifs von so viel geringerem Gewichte seyn mufs, da sie sie allem Vermuthen nach erst aus dem Platon kennen gelernt haben;* adde Stallbaumium ad eund. p. 102 primae editionis; in altera enim calidius, ut mihi videtur, a Creuzero sibi imponi passus est. Insignissimi autem scriptores, qui Diotimae notitiam ex Platone hausisse videntur, sunt Lucianus (Imagg. c. 18), Clemens Alexandrinus (Stromatt. VI, p. 631 B), Aelius Aristides (de Quatuorv. T. II, p. 171 Dind.), Themistius (Orat. XIII, p. 199), Himerius (Orat. I. 18, p. 338 Wernsd.) etc.

29) Cf. Athenaeus V. 57 sqq.

30) Ut v. c. Groen van Prinsterer in Platon. Prosopogr. p. 125, qui postquam recte statuit Diotimae mentionem ideo tantum factam esse, ut Socrates, *servata tenuitatis et inscitiae simula-*

promtu est Eris exemplum in Republica, quem et ipsum quicunque commemorant ex Platone tantum norunt [51]), neque ea testimonia, quae Creuzeri sagacitas nuper ex scholiorum tenebris eruit, ut alia quoque, quae apud Platonem non legerentur, veteribus de Diotima nota fuisse demonstraret [52]), majorem auctoritatem habere videntur, quam quod dudum a viris doctis explosum est Clementis Alexandrini commentum, qui Erem illum proprio nomine Zoroastrem fuisse tradidit [53]). Proclus certe [54]) in conquirendis mulierum philosopharum exemplis Dio-

---

tione, non sua traderet ut magister praecepta, sed ut unus de multis audita loqueretur, tamen ut ipsam mulierem *prudentia et vaticinio nobilem* fuisse efficiat, *nam quod de Platone,* inquit, *omnis haec disputatio ostendit, homines ipsum, qui et fuerant revera et minime obscuri fuerant, induxisse, idem de Socrate Platonico licet existimare; nimirum non fictas ipsum personas sed mythis historiave cognitas induxisse, quum sic iis, quae dicebantur, major videretur accedere gratia veritatis.*

51) Plat. Republ. X, p. 614 B; cf. Groen van Prinsterer l. c. p. 104 et Schleiermacher in Interpr. German. T. III, P. 1, p. 619: *ob nun Platon diesen Er ersonnen hat oder irgendwoher genommen, und ob die Erzählung vielleicht in den Mysterien ihren ursprünglichen Sitz hat, ist gänzlich unbekannt; denn so oft auch die Sache von späteren Schriftstellern erwähnt wird, so führt doch niemand sie auf eine andere dem Platon gleichzeitige oder ältere Quelle zurück.*

52) Ad Plotin. de Pulchr. p. 527 et in Ann. Vindob. l. c. p. 147; cf. Stallbaumium in altera edit. Sympos. p. 170, ubi adeo a pristina sententia recessit, ut jam necessarium existimet, si quis Diotimam vixisse neget, eundem etiam Aspasiam in Menexeno commemoratam aliasque personas in sermonibus Platonicis inductas pro fictitiis habere, quasi non de his satis aliunde constet, de Diotima autem hoc ipsum ambiguum esse videatur.

53) Stromatt. V, p. 598 extr.

54) Ad Plat. Remp. p. 420: *ἡ μὲν οὖν κατ' εἶδος τῆς ἀρετῆς κοινωνία ἀνέπειϭε τὸν Σωκράτην κοινὴν ποιῆϭαι τὴν παιδείαν, ταύτην δὲ εὗρε λαβὼν ἀπὸ τῶν πραγμάτων ὅτι τινὲς γυναῖκες ζῶϭι τὴν ἀνδρῶν ἀρετὴν, καὶ τοῦτο γνώριμον καὶ εὐπαράδεκτον εἰδότι τοὺς βίους τῶν Πυθαγορείων γυναικῶν, τῆς Θεανοῦς, τῆς τε Μυίας, τῆς Διοτίμας αὐτῆς κ. τ. λ.,* unde

timam eo facilius inter Pythagoreas annumerare poterat, quo propius ea philosophiae Platonicae pars, quam illi enarrandam Convivii scriptor dedit, ad Pythagoreorum placita accessit quoque magis haec ipsius Procli aetate cum Platonicis confundi communesque utriusque fontes in nescio quibus sacrorum initiis quaeri soliti sunt [35]); Aristidis vero interpres quamvis ex novo fonte hausisse videatur quod narrat eam Jovis Lycaei in Arcadia sacerdotem fuisse [36]), haud scio an et ipse hoc scholiastarum more ex nomine tantum hominis scriptorisque verbis collegerit, ubi si quasi Jovis cultricem Mantinensem Arcadem legebat, grammatico semidocto nihil prius succurrere consentaneum erat quam famosissimum illum Jovis Lycaei cultum apud Lycosuram, licet hic neque ad Mantineam quidquam pertinuerit eaque indole fuerit, ut sacerdotes ejus priscae immanitatis memoriam potius

sua petierunt Fr. Schlegelius in Comm. de Diotima recusa in ipsius sämmtl. Werken T. IV, p. 90 sqq. et H. L. Hartmannus in Prolus. de Erote Socratis in Symposio Platonis, Gubenae 1801. 4, p. 5.

35) Hinc etiam *ταῖς τελεστικαῖς γυναιξὶ* Diotimam annumerat Proclus ibidem p. 422 eumque secutus Heusdius l. c. p. 186, qui tamen haud scio an magna injuria bonam feminam affecerit, quum eam pari loco cum Pythiis illis ac Sibyllis habeat, quarum Plato in Phaedro p. 244 B meminit. Has enim philosophus ait *μανεῖσας μὲν πολλὰ δὴ καὶ καλὰ ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ τὴν Ἑλλάδα ἐργάσασθαι, σωφρονούσας δὲ βραχέα ἢ οὐδέν*: Diotimam autem in Convivio nemo negabit sana mente, non furibundam cum Socrate colloqui, neque omnino video, quomodo quis tam diversa miscere potuerit, nisi prava illa scriptura inductus, qua olim *μαντικὴ* apud Platonem pro *Μαντινικὴ* legebatur, quam tamen Creuzerus quoque recte repudiavit.

36) Schol. Aristid. T. III, p. 468 Dind.: *ἡ δὲ Διοτίμα ἱέρεια γέγονε τοῦ Λυκαίου Διὸς τοῦ ἐν Ἀρκαδίᾳ· αὕτη δὲ μελλούσης τῆς νόσου, ἧς Θουκυδίδης μέμνηται, ἐπισκήπτειν τοῖς Ἀθηναίοις, εὐξαμένη ἐκώλυσεν αὐτὴν εἰσελθεῖν ἐπὶ δέκα ἔτη.*

quam arcana coelestia sectati esse videantur [37]); atque etiam si missa incredulitate et vixisse aliquando Diotimam et sacerdotem fuisse patiamur, Socratis tamen in conspectum colloquiumque eam venisse ne sic quidem certius erit quam sacerdotes illos, quibus in Menone immortalitatis placita accepta referuntur [38]), quos si quis illum coram docentes audivisse credat, eodem jure etiam Sapphonem et Anacreontem Socratis aequales fuisse statuat [39]). Quod autem multis visum est Platonis auctoritatem

37) Jovi enim Lycaeo etiam tum humana hostia sacra fieri solita esse testatur Plinius Hist. Nat. VIII. 22. 34, idque etiam Platoni cognitum fuisse prodit locus de Republ. VIII, p. 565 D, ut mittam Minoem p. 315 D; adde Paus. VIII. 2. 1, Stat. Theb. I. 275, Augustin. de Civ. Dei XVIII. 17, p. 500 etc.; initiorum vero, quae cum eo cultu conjuncta fuisse vult Creuzerus (l. c. p. 149: *Weihen waren aber namentlich mit dem Dienste des lykäischen Zeus in Arkadien verbunden, vgl. Symbolik B. II, S. 466)* nulla vestigia inveni, quaeque vir doctissimus Pythagorearum exempla attulit, quae itidem sacerdotes fuisse dicantur, etiam si earum ex numero Diotimam fuisse constaret, huc tamen nullo modo trahi possent, si quidem Pythagoreos pariter ut Orphicos vel brutorum animalium sacrificiis cruentis prorsus abstinuisse constat; cf. Diog. L. VIII. 13 et Spanhem. ad Callim. H. in Delum v. 283, imprimis autem Plat. de Legg. VI, p. 782 C, unde utrumque genus toto coelo inter se abhorruisse patet.

38) P. 81 A: *ἀκήκοα γὰρ ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν σοφῶν περὶ τὰ θεῖα πράγματα . . . οἱ μὲν λέγοντες εἰσι τῶν ἱερέων καὶ ἱερειῶν ὅσοις μεμέληκε περὶ ὧν μεταχειρίζονται λόγον οἵοις τ' εἶναι δοῦναι· λέγει δὲ καὶ Πίνδαρος καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ποιητῶν ὅσοι θεῖοί εἰσι*, qua tamen ipsa comparatione apparet non necessarium esse, ut Socratem haec coram audiendo accepisse statuamus; ut mittam Platonem ipsum in simili causa in Legg. IX, p. 872 E *παλαιῶν ἱερέων μῦθον ἢ λόγον ἢ ὅ τι χρὴ προςαγορεύειν αὐτὸν* commemorasse.

39) Hos enim in Phaedro p. 235 fere iisdem verbis auctores refert: *παλαιοὶ γὰρ καὶ σοφοὶ ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες περὶ αὐτῶν εἰρηκότες καὶ γεγραφότες ἐξελέγξουσί με . . . δῆλον δὲ ὅτι τινῶν ἀκήκοα, ἤ που Σαπφοῦς τῆς καλῆς ἢ Ἀνακρέοντος τοῦ σοφοῦ ἢ καὶ συγγραφέων τινῶν*: quae etsi cavillationem continere videntur, simili tamen loquendi ratione etiam serio utitur in Philebo p. 20 B, ubi in eo est, ut Socratem suis ipsius placitis contradicentem faciat: *λόγων ποτὲ τινῶν πάλαι ἀκούσας ὄναρ ἢ καὶ ἐγρηγορὼς νῦν ἐννοῶ περί τε ἡδονῆς καὶ φρονήσεως,*

insigniter augere, quia non intelligebant quomodo ille rem in facto positam effingere potuerit, quum Diotimam precibus suis pestem ab Atheniensibus per decennium removisse narret [40]), id ipsum nescio quomodo me deterret, ne verbis ejus temere confidere audeam; non quo talem sacerdotis vim ab illius aetatis hominibus vel ab ipso Platone credi potuisse negem [41]), sed quod in ipsis aequalium superstitionibus pestilentiam illam ita cum bello Peloponnesiaco junctam fuisse constat [42]), ut altera sine altero procrastinata vix dici potuerit, neque profecto causa est cur huic narrationi majorem fidem habeamus quam illi, qua philosophus Epimenidem narrat belli Persici metum decennii dilatione composuisse [43]), quod omni temporum computationi

---

ὡς οὐδέτερον αὐτοῖν ἐστι τἀγαθὸν, ἀλλ' ἄλλο τι τρίτον, ἕτερον μὲν τούτων, ἄμεινον δὲ ἀμφοῖν: cf. Republ. VI, p. 505 B, quaeque de eo loco dixi in Gesch. u. System d. plat. Philos. T. I, p. 529.

40) Ut Creuzero l. c. p. 149, cujus verba, quia non exigui ponderis sunt, apposui: *ferner ist nicht abzusehn, warum in jenem Falle noch gesagt wird, sie habe durch eine merkwürdige Weissagung und Sühnung den Athenern einen wichtigen Dienst geleistet, wodurch ja ihre Lehrweisheit an sich keineswegs bedingt ist; und warum endlich jene Wohlthat und mithin die Lebenszeit dieser Person in eine historische, ja in eine ganz nahe Periode hinabgerückt wird;* at, opinor, hoc quidem ideo fieri debebat, ut cum Socrate colloqui potuisse videretur, alterum autem ad sanctitatem pertinebat, qua sola mulier de amore disputans meretricis speciem evitare poterat; cf. Schlegel. l. c. p. 100 sqq.

41) De Platone ipso cf. Phaedr. p. 244 D: *ἀλλὰ μὴν νόσων γε καὶ πόνων τῶν μεγίστων . . . ἡ μανία ἐγγενομένη καὶ προφητεύσασα οἷς ἔδει ἀπαλλαγὴν εὕρετο, καταφυγοῦσα πρὸς θεῶν εὐχάς τε καὶ λατρείας*: de aliis ejusmodi superstitionibus in universum Lobeck. Aglaoph. p. 315.

42) Cf. oraculum apud Thucyd. II. 54: *ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.*

43) Legg. I, p. 642 D: *τῇδε γὰρ ἴσως ἀκήκοας ὡς Ἐπιμενίδης γέγονεν ἀνὴρ θεῖος, ὃς ἦν ἡμῖν οἰκεῖος, ἐλθὼν δὲ πρὸ τῶν Περσικῶν δέκα ἔτεσι πρότερον παρ' ὑμᾶς, κατὰ τὴν τοῦ*

rerumque gestarum memoriae repugnare dudum intellectum est [44]; quibus omnibus comprehensis facile apparet, tantam totius fabulae ambiguitatem esse, ut quo quis cautius in ea tractanda versari cupiat, eo minus inde lucis vel ad Platonis placita vel ad Socratis memoriam illustrandam petere audeat, utque et vixerit Diotima et cum Socrate Athenis congressa sit, magistram tamen hujus vel ideo dici non posse, quia in omnibus iis, quae apud Platonem disputat, nihil inveniatur, quod ex illius disciplina in Socraticam transiisse certis argumentis constet. Paulo alia causa est Aspasiae, quam et aequalem Socrati et admodum familiarem fuisse satis aliunde novimus [45], nec dubitari potest, quin insignem ex sapientissimae mulieris consuetudine non voluptatem modo sed etiam fructum ejus ingenium perceperit [46] recteque Plutarchus judicarit [47] quamvis

---

θεοῦ μαντείαν θυσίας τε ἐθύσατό τινας, ἃς ὁ θεὸς ἀνεῖλε, καὶ δὴ καὶ φοβουμένων τὸν Περσικὸν Ἀθηναίων στόλον εἶπεν ὅτι δέκα μὲν ἐτῶν οὐχ ἥξουσι κ. τ. λ. quae Clemens Alexandr. Stromatt. VI, p. 617 B sine judicio secutus est.

44) Epimenidem integris centum annis ante Solonis tempore vixisse nota res est, cf. Clinton. Fast. Hellen. T. I, p. 225, unde recte jam Bentlejus in Opuscc. p. 182: *sed rationem temporum*, inquit, *in suis dialogis non habuit magnus ille philosophus*, neque aut emendandi aut explicandi artificiis quidquam efficitur, cf. Wyttenb. ad Plut. Morr. p. 967 et Heinrich. Epimenides aus Kreta (Lips. 1801. 8) p. 18 sqq.

45) Apparet hoc jam e Xenoph. Mem. II. 6. 36: *ὡς ἐγώ ποτε Ἀσπασίας ἤκουσα*, et Oeconom. III. 14: *συστήσω δέ σοι ἐγὼ καὶ Ἀσπασίαν, ἣ ἐπιστημονέστερον ἐμοῦ σοι ταῦτα πάντα ἐπιδείξει*: plura dabit Groen van Prinsterer l. c. p. 125 sqq.

46) De Aspasiae laudibus et ingenii praestantia omnium praeclarissime egit Jacobs in Symbolis ad historiam sexus muliebris (Vermischte Schriften, T. IV, p. 379 — 397), cui adde Hemsterh. Anecdd. p. 230 et Sintenis ad Plut. V. Pericl. p. 172 sqq.

47) V. Pericl. c. 24: *τὴν δ' Ἀσπασίαν οἱ μὲν ὡς σοφήν τινα καὶ πολιτικὴν ὑπὸ τοῦ Περι-*

jocosam Platonis orationem hoc tamen veri continere, ut multos aequalium Aspasiae sermones proficiendi spe studiose expetiisse intelligamus; eundem tamen fructum ne ad certae alicujus disciplinae fines redigamus, vel testium dissensus vetat, quorum alii cum Platone oratoriam [48]), alii amatoriam artem [49]) ab illa Socratem accepisse tradunt, Athenaeus autem utrumque ita conjungit [50]), ut nec de confusione cum Diotima, quae alioquin satis proclivis erat [51]), cogitari possit, multoque veri similior sit suspicio, inter tot obtrectatores, quot et Aspasiam et Socratem inter comicos praesertim poëtas habuisse constat [52]), alios aliam invi-

---

κλέους σπουδασθῆναι λέγουσι, καὶ γὰρ Σωκράτης ἐστὶν ὅτε μετὰ τῶν γνωρίμων ἐφοίτα . . . ἐν δὲ τῷ Μενεξένῳ τοῦ Πλάτωνος, εἰ καὶ μετὰ παιδιᾶς τὰ πρῶτα γέγραπται, τοσοῦτόν γ' ἱστορίας ἔνεστιν, ὅτι δόξαν εἶχε τὸ γύναιον ἐπὶ ῥητορικῇ πολλοῖς Ἀθηναίων ὁμιλεῖν.

48) Ut Aristides T. II, p. 177 ejusque interpres T. III, p. 468 Dind.

49) Sic Maximus Tyr. Diss. XXIV. 4, p. 459 et Synesius in Dione p. 38 Reisk.: *προςένεμε γὰρ Ἀσπασίᾳ τὴν δύναμιν ταύτην, ᾗ προςεφοίτα κατὰ χάριν τοῦ τὰ ἐρωτικὰ παιδευθῆναι κ. τ. λ.* De ipsius Socratis amore erga Aspasiam notissimi versus sunt Hermesianactis apud Athen. XIII. 71, p. 599 B.

50) Athen. V. 61, p. 219 C: *Ἀσπασία μέντοι ἡ σοφὴ τοῦ Σωκράτους διδάσκαλος τῶν ῥητορικῶν λόγων, ἐν τοῖς φερομένοις ὡς αὐτῆς ἔπεσιν, ἅπερ Ἡρόδικος ὁ Κρατήτειος παρέθετο, φησὶν οὕτως . . . κυνηγεῖ οὖν ὁ καλὸς Σωκράτης, ἐρωτοδιδάσκαλον ἔχων τὴν Μιλησίαν κ. τ. λ.* De Herodico grammatico cf. B. Thiersch über das Zeitalter und Vaterland des Homer (Halberst. 1832. 8) p. 25 et Casp. Fred. Wegener de aula Attalica literarum artiumque fautrice (Hafn. 1836. 8) p. 155; versus ipsos Ovidio quam Aspasia digniores apponere nolui, quia omnis eorum auctoritas, ut recte monet Luzacus Lectt. Att. p. 112, a Socratis et Alcibiadis amore pendet, quem a Platone demum exornatum et auctum multis posteriorum scriptorum figmentis ansam dedisse constat.

51) Sic Aristides in Decl. Lept. I. §. 69 Diotimam Mileto oriundam dixit, quae Aspasiae patria erat, cf. Creuzerum l. c. p. 147.

52) De Aspasiae obtrectatoribus cf. Wachsmuth. Hell. Alterth. T. I, P. 2, p. 167.

diam utriusque familiaritati conflare studuisse, quod eo facilius fieri poterat, quo magis et Aspasiae convictus cum maribus et Socratis amatoriae professiones a vulgi moribus et decori specie abhorrebant. Rectius utique haec omnia existimari possent, si Aeschinis atque Antisthenis libri ad nos pervenissent, quorum uterque Aspasiae nomine dialogum condiderat [53]) et alterius certe codicem, nisi egregie fallor, etiam Maximus Tyrius ante oculos habebat [54]); de Menexeno tamen, cujus, si serio rem ageret, maxima in hac quaestione auctoritas foret, vel sic satis opinor probabiliter judicare licet, Aspasiae disciplinam, qua se illic Socrates Platonicus jactat, eo tantum consilio commemorari, ut Plato se eorum ineptiis, qui Socratis consuetudinem cum illa in ridiculam institutionis scholasticae imaginem converterant, parum moveri ostendat [55]), mirorque Schoenbornium, qui Menexe-

53) Cf. Welckerum in Rhein. Mus. T. II, p. 405 quaeque praeterea attuli in Prooem. ind. lectt. aestiv. 1836, p. V.

54) Sic v. c. quod p. 226 ait: *καὶ τοῦτο εἶναι ὅπερ οὑτωσί φαύλως ὑπεῖπάς που ἐν τοῖς λόγοις θείᾳ μοίρᾳ δεδόσθαι μοι πρὸς Ἀλκιβιάδην ὁμιλίαν*, non Platonis Alcibiadem, ut Davisio visum est, sed Aeschinis dialogum aliquem spectare manifesto ostendit Aristidis locus T. II, p. 20, ubi ipsa Socratis Aeschinei verba exstant: *ἐγὼ δ' εἰ μέν τινι τέχνῃ ᾤμην δύνασθαι ὠφελῆσαι, πάνυ ἂν πολλὴν ἐμαυτοῦ μωρίαν κατεγίγνωσκον, νῦν δὲ θείᾳ μοίρᾳ ᾤμην μοι τοῦτο δεδόσθαι ἐπ' Ἀλκιβιάδην, καὶ οὐδέν γε τούτων ἄξιον θαυμάσαι*: neque illud quod sup. not. 13 posuimus de Calliae filio, quem Socrates in Aspasiae disciplinam committi jusserit, ex Platonis Philebo, unde Davisius censet, sed ex Aeschinis Aspasia petitum videtur, ubi Hipponici mentionem exstitisse testatur Athen. V. 62, p. 220 B: *ἐν δὲ τῇ Ἀσπασίᾳ Ἱππόνικον μὲν τὸν Καλλίου κοάλεμον προσαγορεύει, τὰς δ' ἐκ τῆς Ἰωνίας γυναῖκας συλλήβδην μοιχάδας καὶ κερδαλέας.*

55) Huc imprimis pertinere videtur quod Socrates p. 256 B quasi Herculis Omphalae servientis instar non multum abfuisse narrat quin verbera ab Aspasia acceperit; quod ut serio dictum jure

num a Platone contra Lysiam potissimum scriptum esse liquido demonstravit [56]), non eo usque processisse, ut, quum hunc in oratione contra Aeschinem Socraticum et Socratis et Aspasiae meminisse constet [57]), his quoque in verbis ut in proxime sequentibus tectam Lysiae irrisionem latere suspicaretur [58]), totumque locum ita explicaret, ut Socrates quaerat, cur non idem quod Lysiae sibi quoque liceat, cui Lysias ipse eandem cum summo oratore Pericle magistram tribuerit? Hoc certe demto id, quod ipse cum aliis Platoni propositum fuisse censet, ut etiam a muliere

---

Astium (Pl. L. u. Schr. p. 449) offendisset, ita non sine sale esse videbitur, ubi Socratem ipsum per ironiam obtrectatorum exaggerationes imitari vel adeo exaggerare statuamus.

56) Ueber das Verhältnifs, in welchem Platon's Menexenos zu dem Epitaphios des Lysias steht, Guben 1830. 4.

57) De Aspasia testis est Harpocratio p. 50, de Socrate Athenaeus XIII. 94, p. 612 B, ubi ipsius Lysiae verba afferuntur haec: *καὶ ἅμα οἰόμενος τοῦτον Αἰσχίνην Σωκράτους γεγονέναι μαθητὴν καὶ περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀρετῆς πολλοὺς καὶ σεμνοὺς λέγοντα λόγους οὐκ ἄν ποτε ἐπιχειρῆσαι οὐδὲ τολμῆσαι ἅπερ οἱ πονηρότατοι καὶ ἀδικώτατοι ἄνθρωποι ἐπιχειροῦσι πράττειν*, quae facile apparet in opprobrium potius quam in laudem disciplinae Socraticae dici; nec Platoni eum in hac oratione pepercisse probabiliter, ut opinor, colligo ex Aristid. de Quatuorv. T. II, p. 407: *οὐ Λυσίας Πλάτωνα σοφιστὴν καλεῖ καὶ πάλιν Αἰσχίνην*; quibus omnibus comprehensis hoc mihi intelligere videor, Lysiam, ut Socratis amicitiam adversario suo in invidiam verteret, inter alia etiam ipso teste usum Socraticis exprobrasse, quod eorum magister in mulieris sese disciplinam tradidisset; quod enim Welckerus l. c. p. 407 de illius orationis argumento et dubia fragmentorum apud Athenaeum auctoritate disputat, mihi quidem nullo modo persuasit.

58) Quae enim a plerisque (cf. Gottleberi Animadv. histor. ad Plat. Menex. spec. I, p. 5, Ruhnkenii Opuscula p. 146, Spengelii *Τεχνῶν Συναγ.* p. 146 etc.) ad Thucydidem referuntur apud Platonem verba: *ἀλλὰ καὶ ὅστις ἐμοῦ κάκιον ἐπαιδεύθη, μουσικὴν μὲν ὑπὸ Λάμπρου παιδευθεὶς, ῥητορικὴν δὲ ὑπ' Ἀντιφῶντος κ. τ. λ.*, ipse p. 25 sqq. ad Lysiam referre conatus est, ne adversarii mentio, quam Schleiermacherus desideraverat, ab ipsa dialogi praefatione abesset, idque eo minus impugnare lubet, quo magis nuper Krügerus (Untersuchungen über das Leben des Thucydides, Berl. 1832. 4, p. 35) veteris famae, qua Antiphon Thucydidi magister dicebatur, auctoritatem labefactavit.

illos oratores superari posse diceret [59]), non minus languet, quam quod Welckero placuit [60]) *κατ᾽ ἀντίφρασιν* Aspasiam, hoc est mulierem formosam, magistram Socratis dici, ut qui nullo omnino magistro usus sit; sin hoc philosophum spectasse statuimus, ut eorum sive oratorum sive comicorum cavillationibus occurreret, qui praeceptori suo Aspasiae consuetudinem non sine contemtu exprobrarent, id quoque quod recte illi intellexerunt, Antiphontem et Lamprum apud Platonem, si ab ironia discesseris, Aspasiae et Conno non postponi sed anteferri [61]), nunc demum concinnum sensum accipiet, ut Plato ostendat Socratem, quem adversarii cum invidia Aspasiae Connique discipulum appellaverint, vel sic certamen cum oratoribus quamvis praestantissima institutione usis non renuere, idque etiam cum

---

59) P. 28: *wenn ich nun aber — so ist der Gedankengang — den nur eine Frau belehrt hat, Lob gewinnen möchte* etc.; cf. Ast. l. c. p. 449: *soll dieses Spott auf die Redner seyn, dafs sie ein Weib übertreffe?*

60) In Rh. Mus. T. I, p. 10: *das heifst gar keinen Unterricht erhalten zu haben, indem zwei wirklichen und berühmten Meistern eine schöne Frau und ein von Ameipsias komödirter Kitharist entgegengestellt sind.*

61) Sic praeter Schoenbornium et Welckerum etiam Stallbaumius ad Menex. p. 27 et Krügerus l. c. p. 36, cujus integra verba subjeci: *die ganze Stelle aber ist offenbar ironisch, und so wenig Sokrates sich hier im Ernste als einen zweiten Perikles zu preisen beabsichtigt, eben so wenig kann er den Antiphon und den Schüler desselben herabsetzen wollen; und wenn er zugleich den Lampros, der uns als der berühmteste Musiker seiner Zeit erwähnt wird, einem Konnos, den wir nur kennen, weil er Sokrates Lehrer war, nachsezt, so zeigt sich hierin noch offenbarer das ironische Element, dem vielleicht eine Verspottung derer zu Grunde lag, die einen Vorzug aus der Schule, in der ein Redner gebildet worden, herleiteten, ohne zu bedenken, dafs die Schule eben nur Schüler bilde, nicht Meister.*

universo eo consilio convenit, quod in reliquis ejusdem aetatis dialogis persequitur, ut magistri memoriam, quam tum maxime schola in Academia condita instaurare parabat, totiusque disciplinae Socraticae praestantiam a veterum comicorum pariter atque aequalium rhetorum calumniis vindicatam extollat et commendet [62]. Quanquam de hoc argumento alio loco propediem accuratius disputabimus; ad nostram quaestionem quod attinet, jam virorum doctorum quos commemoravimus consensus sufficit ad comprobandum, ne Aspasiae quidem disciplinam tanti faciendam esse, ut aliquid inde ad Socratis sapientiam accessisse credamus, sine quo ad tantum fastigium pervenire non potuisset, idemque etiam in Connum Metrobii filium musicum cadit, quem quia Maximus pariter ex Platone in suum recensum transtulit [63], et ipsum duobus verbis attingemus; pluribus vel ideo non opus erit, quia etiam si serio Socrates Platonicus ab illo se artem

62) De Phaedro satis in hanc sententiam disputatum est a Stallbaumio in Prolegg. p. XXI sqq. et a me ipso in judicio de illius editione in Seebod. et Jahn. Jahrbb. für Philol. 1833, T. VII, p. 411, neque in Convivio obscurum esse potest, quum reliqua orationum genera Socratico longe inferiora describi, tum Aristophanem praeterea etiam ita impugnari (p. 221 B), ut vel quae cum veri aliqua specie Socrati exprobrarit ex opprobrio in laudem et gloriam ejusdem convertantur.

63) Sive ex Menexeno, ubi Aspasiae, de qua modo egimus, Conno proxime adjuncto Socrates: *οὗτοι γάρ μοι*, inquit, *δύο εἰσὶ διδάσκαλοι, ὁ μὲν μουσικῆς, ἡ δὲ ῥητορικῆς· οὕτω μὲν οὖν τρεφόμενον ἄνδρα οὐδὲν θαυμαστὸν δεινὸν εἶναι λέγειν* — sive ex Euthydemo p. 272, unde haec imprimis huc pertinent: *ἀλλ' ἐγὼ ἓν μόνον φοβοῦμαι, μὴ αὖ ὄνειδος τοῖν ξένοιν περιάψω, ὥςπερ Κόννῳ τῷ Μητροβίου τῷ κιθαριστῇ, ὃς ἐμὲ διδάσκει ἔτι καὶ νῦν κιθαρίζειν· ὁρῶντες οὖν οἱ παῖδες οἱ συμφοιτηταί μου ἐμοῦ τε καταγελῶσι καὶ τὸν Κόννον καλοῦσι γεροντοδιδάσκαλον.*

musicam didicisse narraret, tamen senex demum ejus institutione usus esset, quo tempore dudum et hominum ora in se converterat et suam sibi sentiendi vivendique rationem elegerat; accuratius autem re examinata haud scio an etiam de familiaritate aliqua inter utrumque dubitare liceat, utque concedamus Socratem Conni ludum frequentare potuisse [64]), hoc saltem contendere audeo discendi causa eum non fecisse, et quidquid in eam sententiam Plato vel in Euthydemo vel in Menexeno disputare videatur, ad comicorum potius ineptias, quas imitando exagitet, expressum quam ad rei factae veritatem traditum esse. Quidquid enim de pristina Conni fortuna artisque praestantia existimemus [65]), illud certe ipsa Platonis verba produnt, eum

64) Sic Stallbaumius ad Euthyd. p. 79 Socratem ideo se Conno in disciplinam quasi dedisse suspicatur, ut in ejus domo cum pueris et adolescentibus musicae studium sectantibus conveniendi opportunitatem captaret, per se quidem haud improbabiliter, sed ut tamen hoc poëtis comicis ridendi cavillandique materiam praebuisse vix credam; cf. et Groen van Prinsterer p. 141 et Winckelmann. ad Euthyd. p. XLI.

65) Sunt enim qui *nobilissimum fidicinem* appellant, ut Cicero ad Fam. IX. 22, cumque secuti inter recentiores quum alii tum nuperrime viri doctissimi Winckelmannus ad Plat. Euthyd. p. XL et Fritzschius in Quaestt. Aristoph. p. 241; sed illum nemo negabit quod dicat ex unius Platonis verbis male intellectis haurire potuisse, hi autem eo potissimum nituntur, ut Connum nostrum eundem habeant cum *Conna tibicine*, quem *πολυστέφανον* dicit Cratinus apud Suidam p. 2150, Aristophanes autem in Equitt. v. 534 quamvis senem et temulentia perditum dignum habet,

ὃν χρῆ διὰ τὰς προτέρας νίκας πίνειν ἐν τῷ πρυτανείῳ,

mea quidem sententia satis temere; nam ut fuerint qui simul et tibia et fidibus canere callerent, quorum tamen semper exempla rara erunt, nominis formam *Κοννᾶς*, quam *ὑποκοριστικὴν* Winckelmannus dicit, non in simplicis terminationis *ος* sed in longioris locum successisse credibile est, ut *Μηνᾶς* pro *Μηνόδωρος*, *Δημᾶς* pro *Δημήτριος* etc., utque erraverit Schol. Aristoph. Vesp. v. 675, qui Connum claris verbis *νέον* appellat, *senem* certe fuisse nemo inde colliget, quia senes discipulos habuisse traditur!

tum, quum Socratem discipulum habere credebatur, unum e multis citharistam fuisse, qui non musicam oratori necessariam[66]) sed puerilia artis rudimenta traderet[67]), quibus Socrates post liberalem educationem, quam puer a parentibus acceperat (cf. not. 8), profecto non amplius indigebat; hac autem hominis conditione usus esse videtur Amipsias poëta comicus, ut in fabula Conni nomine inscripta[68]) notissimos illius aetatis philosophos et sophistas ludibrii causa in ejus ludum mitteret[69]) non tam ut ipsi tenuitatem et inopiam objiceret, quam ut illos prae nimia

---

66) Ut Welckero visum Rh. Mus. T. I, p. 10: *bei dem Musiker war insbesondere für den Redner die Vorschule,* et Stallbaumio ad Menex. p. 27: *tamen ne hoc quidem nihil cum numero oratorio habebat commercii;* at etiamsi hunc Connum docuisse statueremus, Socratem tamen illum minime curasse certum esset. Recte mea sententia jam Schleiermacherus T. II, P. 3, p. 532: *ein solcher Lehrer auf der Kithare, der den Knaben die Griffe beibringt, hat gewifs nichts mit der Redekunst zu thun, und war wohl nicht ein Musiker von der Art, dafs er etwa des rhythmischen Vortrages wegen von angehenden Rednern konnte als Lehrer gebraucht werden.*

67) *Κιϑαριστὴν* enim Plato appellat, non *κιϑαρῳδόν*, quod quantum discrimen sit docte exposuit Valckenarius ad P. H. Koppiersii Observata philologica (L. B. 1771. 8) p. 142 — 145, adhibito Diog. L. III. 88 inque primis Varrone, qui de Re Rust. II. 1. 3, *non omnes,* inquit, *qui habent citharam, sunt citharoedi;* adde Ammonium de diff. vocabb. p. 28: *κίϑαρις γάρ ἐστιν ἡ λύρα καὶ οἱ χρώμενοι αὐτῇ κιϑαρισταὶ, οὓς ἡμεῖς λυρῳδούς φαμεν, κιϑάρα δὲ ᾗ χρῆται ὁ κιϑαρῳδός . . . κιϑαριστής μέν ἐστιν ὁ μόνον ψάλλων, κιϑαρῳδὸς δὲ ὁ ᾄδων καὶ ψάλλων,* unde etiam lucem accipit Suidae locus de Conno p. 2153: *ὁ δὲ Κόννος λυρῳδὸς ἦν, ὥς τινές φασι, τῶν ἀφώνων.* Contemtum autem fuisse etiam Aristophanis dictum in Vespis v. 675 ostendit: *σὲ μὲν ἡγοῦνται Κόννου ψῆφον,* quod haud scio an inde originem duxerit, quod aliquando inter judices certaminis musici lectus reliquorum judicum neminem consentientem habuerit, ita ut ipsius suffragium pro nullo haberetur.

68) De qua cf. Meinekii Quaestt. Scenic. spec. II, p. 43, Fritzsche in Quaestt. Aristoph. T. I, p. 239 sqq., Stallbaum ad Plat. Euthyd. p. 58 sqq. et Grauert de Aesopo p. 23, qui etiam Phrynichum ejusdem nominis fabulam scripsisse monuit ex Hesych. T. I, p. 104 et Suid. p. 3850.

69) Athen. V. 59, p. 218 C.

sapientia primorum elementorum oblitos esse argueret; quibus quum Socratem quoque immixtum videamus [70]), facile apparet, quomodo hic se apud Platonem per jocum et facetias ipse Conni discipulum praedicare possit, etiam si Amipsiam nulla alia causa moverat, ut eum sophistarum coetui adjungeret, nisi quam etiam Aristophanes in Nubibus habuerat, quia externa specie fastum philosophicum et quasi peculiarem aliquam sapientiam prae se ferre videretur; idque vel *γεροντοδιδασκάλου* nomen confirmare arbitror, quo Socrates pueros sua causa Connum appellare ait, quod tamen et forma et ipso rhythmo anapaestico comicam potius originem prae se fert, quam ut puerorum ingeniis propter unum Socratem originem debere credamus. Hoc igitur, ut paucis comprehendam, in Euthydemo, missa ironia, dicit Socrates, se vereri, ne Euthydemi et Dionysodori doctrina aeque puerilis sit ac Conni, se tamen, ut apud Amipsiam scilicet una cum aliis senibus in illius ludum eat, ita horum quoque argutiis et ipsum operam daturum et aliis ut idem faciant persuasurum esse [71]); in Mene-

---

70) Hoc certe unanimi consensu a Menagio inde collegerunt viri docti e Diog. L. II. 28: *Ἀμειψίας δ' ἐν τρίβωνι παράγων αὐτόν φησιν οὕτως·*

> *Σώκρατες ἀνδρῶν βέλτιστ' ὀλίγων, πολλῶν δὲ ματαιόταθ', ἥκεις*
> *καὶ σὺ πρὸς ἡμᾶς καρτερικός τ' εἶ· πόθεν ἄν σοι χλαῖνα γένοιτο;*
> *τουτὶ τὸ κακὸν τῶν σκυτοτόμων ἐς ἐπήρειαν γεγένηται·*
> *οὗτος μέντοι πεινῶν οὕτως οὐπώποτ' ἔτλη κολακεῦσαι:*

quae quam bene conveniant illi *φροντιστῶν χορῷ*, quem Amipsias in Conno introduxisse dicitur, sponte patet.

71) Euthyd. p. 272 D: *ἐγὼ δ' ἐκεῖσε μὲν ἄλλους πέπεικα συμμαθητάς μοι φοιτᾶν πρεσβύτας, ἐνταῦθα δέ γε ἑτέρους πειράσομαι πείθειν κ. τ. λ.*

xeno autem ipsa Conni cum Aspasia conjunctio, tam quaesita praesertim et praeter ullam necessitatem facta, satis ostendit utriusque commemorationem ad idem cavillandi artificium pertinere, nec quamvis magnus ille recentiorum scriptorum numerus, qui Socratem in senectute fidibus canere didicisse narrant [72]), tantam apud me vim habet, ut majorem inde auctoritatem Conni disciplinae accedere arbitrer, cujus illi notitiam ipsi Platoni male intellecto debere poterant; de aliis enim magistris nihildum decerno, Connum autem in hac fontium conditione non magis quam Aspasiam et Diotimam, nedum Evenum et Ischomachum in eorum numerum referre audeo, quorum opera Socratem ad certas artes addiscendas usum esse statuere liceat.

Quae quum ita sint, in hoc certe Maximum non reprehendemus, quod his se praeceptorum simulacris deterreri non passus est, quominus Socratem, quidquid fuerit, naturae dono potius quam humana opera factum esse judicaret [73]); hanc enim ipsius

---

72) Cf. Cic. de Senect. c. 8 pluribusque Valer. Max. VIII. 7, ext. 8: *Socratem etiam constat aetate provectum fidibus tractandis operam dare coepisse, satius judicantem ejus artis usum sero quam nunquam percipere;* Quinctil. I. 10. 13: *quid de philosophis loquar, quorum fons ipse Socrates jam senex institui lyra non erubescebat?* Diog. L. II. 32: *ἀλλὰ καὶ λυρίζειν ἐμάνθανεν ἔτι γηραιὸς, μηδὲν λέγων ἄτοπον εἶναι ἅ τις μὴ οἶδεν ἐκμανθάνειν* etc.

73) Quod enim *divinitus* fieri dicit, idem nullo discrimine etiam *naturae* tribuit, siquidem sic pergit p. 225: *ἀλλ' ἐπειδὰν ἀκούω σου πρὸς Φαῖδρον διαλεγομένου ἢ Χαρμίδην ἢ Θεαίτητον ἢ Ἀλκιβιάδην, ὑποπτεύω σε μὴ πάντα ἐπιστήμῃ νέμειν, ἀλλ' ἡγεῖσθαι τοῖς ἀνθρώποις πρεσβύτερον εἶναι διδάσκαλον τὴν φύσιν, καὶ τοῦτο εἶναι ὅπερ οὑτωσί φαύλως ὑπεῖπάς που ἐν τοῖς λόγοις θείᾳ μοίρᾳ δεδόσθαι μοι κ. τ. λ.*

sententiam esse, multumque errasse qui ipsius verba caeca quadam fiducia secuti vel solo ejus testimonio hos omnes inter philosophi magistros retulerint, vel illa dubitatio ostendit, qua ambiguum relinquit, utrum ad pertinacem hominis industriam an ad ironiam referenda sint, quae apud memoriae ipsius auctores aliquam senilis disciplinae speciem prae se ferant; quae autem jam in contrariam partem disputat, ut Socratem ipsum plus divino numini tribuisse ostendat, adeo debilia sunt, ut etiam si quis cum illo existimare velit Socratem, si humanae disciplinae relictus esset, circa artem paternam, hoc est sculptoriam, haesurum fuisse, quod virtuti et sapientiae se dediderit divino quasi instinctu factum esse [74]), multa tamen desideret, quae ad eam opinionem firmandam necessaria esse videantur. Mittam rationum fundamenta et quaestionem universam, quae quum antiquissima aetate acerrimis disputationibus agitata sit,

virtutem doctrina paret naturane donet [75]),

a Maximo ita tractatur, ut declamatoriam potius vanitatem quam gravitatem philosophicam cognoscas; sed ipsius Socratis quae affert dicta ita comparata sunt, ut etiam majore jure quam priora

---

74) Cf. p. 235: *καὶ ἵνα μὴ πόῤῥω σε ἀπάγω τῶν ἐν ποσὶ, τὸν Σωκράτην αὐτὸν οἴει γενέσθαι τέχνῃ ἀγαθὸν, ἀλλ' οὐ θείᾳ μοίρᾳ; ἢ κατὰ μὲν τὴν τέχνην ἐγένετο ἂν λιθοξόος, παῖς παρὰ πατρὸς λαβὼν τὸν κλῆρον, κατὰ δὲ τὴν τοῦ θεοῦ χειροτονίαν τὴν μὲν τέχνην διώσατο, τὴν δὲ ἀρετὴν ἐλάμβανεν*: ubi quod *ἀρετή* opponitur *τέχνῃ*, existimandum est ex illo non opificum modo verum etiam artificum apud antiquiores Graecos contemtu, cujus luculentissimum testimonium exstat apud Plutarchum V. Pericl. c. 1 et 2.

75) Horat. Epist. I. 18. 100, cf. Fischer ad Aeschin. dialog. p. 21 sq.

ad ironiam hominis vel Platonicorum dialogorum artificia referri possint [75b]), dumque obscura quaedam nomina, quae semel bisve commemorantur, removere studet, clarissimorum virorum, quibus aut ipse Plato aut reliquae antiquitatis consensus Socratem discipulum tribuit, Prodici, Anaxagorae, Archelai, ne verbo quidem meminit, ita denique loquitur, quasi inter institutionem ad opificium paternum et divinum ipsius ad virtutem impetum nihil medii intercedere potuerit, quod quamvis ad virtutis et sapientiae studium pertineret, tamen et ipsum in arte et disciplina positum esset; quod quum alios non modo contendere verum etiam Socratis exemplo illustrare videamus [76]), Maximo, qui contrarium affirmat potius quam certis rerum argumentis confirmat, in tanta controversia vix causae patrono, nedum teste aut judice uti possumus. Longe utique gravior ab altera parte quamvis accusator stat Porphyrius, quem jam superius vidimus (not. 6 et 10) de Socratis ingenio et moribus in juventute non nimis honorifice sentire, et quidquid ille posterius profecerit, doctrina et industria reparatum dicere; qui licet multis vel ideo non audiendus esse visus sit, quia Aristoxenum auctorem habuerit, quem omnium impudentissime et malevolentissime in

---

75b) P. 226: *καὶ τοῦτο εἶναι ὅπερ οὑτωσὶ φαύλως ὑπεῖπας ἐν τοῖς λόγοις, θείᾳ μοίρᾳ δεδόσθαι μοι πρὸς Ἀλκιβιάδην ὁμιλίαν, καὶ πάλιν αὖ Φαῖδρον καλεῖς τὴν θείαν κεφαλὴν, καὶ περὶ Ἰσοκράτους που κατεμαντεύσω ἐν τοῖς λόγοις νέου ὄντος κομιδῇ κ. τ. λ.*

76) Cf. Origenem contra Celsum III, p. 151, qui Socratem refert inter eos, *οἳ τοσοῦτον μεταβεβληκέναι ἱστοροῦνται, ὥςτε αὐτοὺς ἐκκεῖσθαι παραδείγματα τοῦ βίου.*

Socratis famam grassatum esse constat [77]), tamen haud scio an hac certe in causa vel Aristoxenum vel Porphyrium ea, quae aliunde tradita accepissent, detorsisse potius inque deteriorem partem explicasse, quam res prorsus fictas temerario ausu in illum conjecisse judicandum sit, utque nihil inde in Socratis ignominiam convertere liceat, fundamenta narrationum eo minus rejicere atque inania ducere debeamus, quo similiora apud ipsos Socratis admiratores exstant, unde nihil mirum est malevolos calumniandi materiam repetiisse. Sic ut taceam Platonica illa de Alcibiade, quae ne obtrectatores quidem Socratis in usum suum convertere sustinuerunt [78]), ea certe, quae Porphyrius de tarditate Socratis juvenis moribusque ad mollitiem et voluptates propensis tradiderat, eundem fontem habuisse videntur cum illis vitiis, quae ipso Socrate non repugnante Zopyrus physiognomon in eum collegisse dicebatur [79]), quem narrat Cicero [80]), quum se naturam cujusque ex forma perspicere hominumque mores ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere profiteretur, Socratem

---

77) Conf. imprimis Luzacus in Lectt. Att. p. 244 sqq., qui Socratis causam contra Aristoxenum, Porphyrium, Theodoretum et alios acerrime egit, eumque sequitur Wiggers l. c. p. 17 sq. In Porphyrium ipsum eodem nomine invehitur Socrates Hist. Eccl. III. 23.

78) Cf. Athen. V. 61, p. 219 A: *ἀλλὰ μὴν οὐδὲν ὢν ὁ Πλάτων εἴρηκε περὶ Σωκράτους τῶν κωμικῶν τις εἴρηκεν*: cf. Theodoret. XII, p. 1028: *ἃ δὲ Ἀλκιβιάδης ἐν τῷ Συμποσίῳ περὶ Σωκράτους ἔφη, Πλάτων μὲν ἔγραψεν, ἐγὼ δὲ φειδοῖ τοῦ Σωκράτους εἰπεῖν οὐκ ἀνέξομαι.*

79) Cf. Fülleborn Abrifs einer Geschichte und Literatur der Physiognomik, in Beitr. zur Gesch. der Philos. T. VIII, p. 30 sqq.

80) Partim de Fato c. 5, partim Tuscul. IV. 37.

stupidum et bardum dixisse, quod jugula concava non haberet, addidisse etiam mulierosum, quod ipsum inter ea est, quae Aristoxenus quoque maxime ei exprobrasse videtur [81]); derisum autem a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent, ab ipso Socrate sublevatum esse, quum illa sibi signa, sed ratione a se dejecta diceret; neque iracundiam, quam pariter in eo notasse Aristoxenus traditur [82]), ab hac existimatione alienam esse censeo, quae quum ex animi parte *θυμοειδεῖ*, quam Plato appellat, originem habeat, mente et consilio temperata non modo comprimi atque in ordinem cogi sed etiam ad maximam utilitatem promovendumque rationis imperium converti potest [83]). Illud quoque, quod de ignorantia hominis et ruditate in discendo iidem prodiderant [84]), quamvis declamatorio more exaggeratum, ex ipsis

81) Porphyrius apud Cyrill. adv. Julian. VI, p. 186 et Theodoret. XII, p. 1029: *λέγει δὲ οὕτως· πρὸς δὲ τὴν τῶν ἀφροδισίων χρῆσιν σφοδρότερον μὲν εἶναι, ἀδικίαν δὲ μὴ προςεῖναι*: quae ne quis ex Aristoxeno petita esse dubitet, cf. Plut. de malign. Herodoti c. 9.

82) Synesius in Calvit. Enc. c. 17: *ἐπεί τοι καὶ Σωκράτην αὐτὰ ταῦτά φησιν Ἀριστόξενος, ὡς φύσει γεγόνει τραχὺς εἰς ὀργὴν καὶ ὁπότε κρατηθείη τῷ πάθει, διὰ πάσης ἀσχημοσύνης ἐβάδιζεν . . . ἀλλ' εἴτις ὕστερον ὡς περὶ χαλεποῦ τοῦ Σωκράτους διελέγετο, πολὺν ἂν οἶμαι τὸν λέγοντα παρὰ τοῖς εἰδόσιν ὀφλῆσαι κατάγελων*: cf. Cyrill. l. c. p. 185 C et Theodoret. p. 1029.

83) Plat. Timaeo p. 70 A: *τὸ μετέχον οὖν τῆς ψυχῆς ἀνδρείας καὶ θυμοῦ, φιλόνεικον ὄν, κατῴκισαν ἐγγυτέρω τῆς κεφαλῆς μεταξὺ τῶν φρενῶν τε καὶ αὐχένος, ἵνα τοῦ λόγου κατήκοον ὂν κοινῇ μετ' ἐκείνου βίᾳ τὸ τῶν ἐπιθυμιῶν κατέχοι γένος, ὁπότ' ἐκ τῆς ἀκροπόλεως τῷ τ' ἐπιτάγματι καὶ λόγῳ μηδαμῇ πείθεσθαι ἑκὸν ἐθέλοι*: cf. Republ. IV, p. 440 E et Phaedr. p. 246 A cum Astii annot. p. 389; adde Himer. ap. Phot. Bibl. p. 376: *ὁ θυμοειδὴς τὴν ψυχὴν, λόγῳ κεράσας τὸ πάθος, ἀνδρεῖος ἤκουσε κ. τ. λ.*

84) Cf. sup. not. 6 et Plutarch. de Herod. malign. c. 9: *ὡς ἐπὶ Σωκράτους Ἀριστόξενος, ἀπαίδευτον καὶ ἀμαθῆ καὶ ἀκόλαστον εἰπών.*

locis Platonicis de Conno, quos modo tractavimus, repetere potuerant, nisi forte ipsam Amipsiae fabulam ante oculos habebant, ubi si Socratem senem iis rebus institui videbant, quae alias pueri in ludis discere solerent, facilis erat suspicio eum in pueritia vel sua vel parentum culpa male educatum fuisse; de contumacia autem, qua adversus patrem usus esse traditur [85]), haud scio an alium praeterea testem habeamus, qui quum eandem rem in laudem Socratis et divinae providentiae argumentum conferat, medio nos tutissime incidere patietur: Plutarchum dico, qui quum narret Sophroniscum consulto de filio oraculo responsum accepisse, ut eum quidquid vellet agere sineret neu vim afferret homini sed diis tantum commendaret, quippe ducem omnibus magistris praestantiorem divinitus habentem [86]), ipse quod caput rei est confirmat, inter patrem et filium de

85) Theodoret. XII, p. 1030: *καὶ ταῦτα δὲ περὶ τοῦ βίου Σωκράτους ὁ Πορφύριος ἔφη· ἐλέγετο δὲ περὶ αὐτοῦ, ὡς ἄρα παῖς ὢν οὐκ εὖ βιώσειεν, οὐδὲ εὐτάκτως· πρῶτον μὲν γάρ φασιν αὐτὸν τῷ πατρὶ διατελέσαι ἀπειθοῦντα, καὶ ὁπότε κελεύσαι αὐτὸν λαβόντα τὰ ὄργανα τὰ περὶ τὴν τέχνην ἀπαντᾷν ὁπουδήποτε, ὀλιγωρήσαντα τοῦ προστάγματος περιτρέχειν αὐτὸν ὁπουδήποτε δόξειεν.*

86) Cf. Plut. de Daem. Socr. c. 20: *ὥςπερ ὁ δοθεὶς ἔτι παιδὸς ὄντος αὐτοῦ τῷ πατρὶ χρησμὸς ἀπεθέσπισεν· ἐὰν γὰρ αὐτὸν ἐκέλευσεν, ὅ τι ἂν ἐπὶ νοῦν ἴῃ πράττειν, καὶ μήτε βιάζεσθαι μήτε παράγειν, ἀλλ' ἐφιέναι τὴν ὁρμὴν τοῦ παιδὸς, εὐχόμενον ὑπὲρ αὐτοῦ Διῒ ἀγοραίῳ καὶ Μούσαις, τὰ δ' ἄλλα μὴ πολυπραγμονεῖν περὶ Σωκράτους, ὡς κρείττονα δήπουθεν ἔχοντος ἐν αὐτῷ μυρίων διδασκάλων καὶ παιδαγωγῶν ἡγεμόνα πρὸς τὸν βίον*: cujus loci auctoritatem contra Bruckerum docte defendit Tennemannus in Gesch. d. Philos. T. II, p. 31, imprimis monens, quod etiam v. *δήπουθεν* clarissime ostendit, extrema verba, quae daemonium Socratis respiciunt, oraculi effato non comprehendi, sed ex Plutarchi demum sententia explicandi causa accessisse.

vitae genere, quod hic amplecteretur, neutiquam convenisse, idque fortasse etiam Maximo Tyrio obversabatur, cujus verbis, quae superius posuimus (cf. not. 74), si quid verae memoriae inest, hoc erit, ut Socratem, si patri obsequi voluisset, nihil nisi sculptorem futurum fuisse significet, philosophum invito patre sed ipsis diis viam monstrantibus factum esse narret. Nam quaestui paterno exercendo destinatum fuisse ipsique arti sculptoriae juvenilem operam dedisse unanimi veterum consensu constat [87]), nec dubitamus quin Gratiarum signa marmorea, quae Pausanias in introitu arcis Athenarum vidit, Socratis opus fuerint [88]); eundem tamen proclive est ad existimandum, praesertim in tanto animi fervore, quantum vel illa quam diximus iracundia comprobat, hoc vitae genere non admodum delectatum esse, quo facto facile fieri poterat, ut qui altiora expeteret fractisque vitae sedentariae cancellis universam rerum humanarum contemplationem mente conciperet, apud suos, qui de ejus ingenio ex se

87) Cf. Dio Chrysost. Orat. LV, p. 558 C, Diog. L. II. 19, Lucian. Somn. c. 12, Paus. I. 22. 8 et IX. 35. 2, Schol. Aristoph. Nubb. v. 771, Porphyr. ap. Theodoret. I, p. 701, Cyrill. adv. Julian. VII, p. 226 B, Suidas T. II, p. 3368 etc.

88) Dubitat enim Meinersius T. II, p. 349, ea potissimum causa motus, quia Pausanias et interpres Aristophanis de loco et forma operis inter se discrepent, quasi non multo major in his Pausaniae auctoritas sit, nec si quid inde dubitationis oriri possit, ad signa potius quam ad artificem pertineat. Gravius dubitandi argumentum esset, quod Plinius Hist. Nat. XXXVI. 5. 4, §. 32 Sillig. Charites in propylaeo Atheniensium laudans, illud tantum ambigi narrat, utrum *pictor* hujus nominis (Plin. XXXV. 11. 40) eas fecerit necne, de philosopho autem tacet; attamen facile fieri poterat, ut qui non intelligeret, quomodo philosophus artem sculptoriam factitasset, nomine ipsius cum opere sculptorio conjuncto, quemvis alium prius quam verum artificem circumspiceret.

judicarent, et injuriosus adversus patrem et parum idoneus ad eam scilicet operam, quae ipsis summa videretur, audiret, tantumque abest ut philosophi adversarios ea opprobria, quae in illum congesserunt, de nihilo arripuisse censeam, ut si ab invidiosae obtrectationis et maledicentiae amplificationibus discedas, ipsa illa quam admiratores ejus tantopere praedicarunt divini regiminis vis in illo effingendo nulla magis re confirmationem accipere videatur. Haec enim, si quid sentio, inter tot exaggerationum ab utraque parte involucra Socraticae pueritiae imago elucet, ut eum institutione quidem, quali pueri Atheniensium vulgo frui solerent, non caruisse credamus, ingenii autem vires, quo altius reconditae fuerint, eo minus mature apparuísse intelligamus, donec ipsa rerum externarum repugnantia excitatae rupto quasi carcere qua data porta ruerent, quoque diutius inclusae et cohibitae fuissent, eo laetiores et perfectiores papilionis instar ad dias luminis auras evolarent; animi autem vigorem, sine quo tanta virium intentio fieri non potuisset, jam in puero licenter vagabundo agnoscimus, quem sive oraculum sive amicorum aliquis patri sollicito suasit ut suo potius arbitrio permitteret quam tristitia et severitate coërceret, profecto non sine numine egisse censendus est; de morum denique indole vitiosa, cujus signa in illo Zopyrus deprehendit, eo minus causae est cur Socrati affirmanti fidem negemus, quo clarius ipse apud Platonem docet, magnas virtutes ex eodem cum magnis vitiis

fonte provenire nec multum boni exspectandum esse nisi ab eo, qui si velit etiam multum mali edere possit [89]); quod si jam ita vitam suam direxit, ut sub Sileni vultu quasi dei signum latere videretur [90]) et quidquid vitii ex prava concretione corpus habuisset, animi bene sibi conscia divinitas temperaret [91]), multo major ipsius laus erit quam ejus, qui a prima statim pueritia ad rectam vitae rationem conformatus usu potius et consuetudine aliqua velut caecus ad virtutem perducatur [92]), non ipso coelestis splendoris appetitu instinctus ad eandem feratur. Unum restat ut quaeramus, quum ipse Socrates Platonicus duas recti adipiscendi vias indicet [93]), utrum scrutando an discendo eo pervenerit

89) Cf. Crito p. 44 E: *εἰ γὰρ ὤφελον ὦ Κρίτων, οἷοί τε εἶναι οἱ πολλοὶ τὰ μέγιστα κακὰ ἐξεργάζεσθαι, ἵνα οἷοί τε ἦσαν αὖ καὶ ἀγαθὰ τὰ μέγιστα, καὶ καλῶς ἂν εἶχε· νῦν δὲ οὐδέτερα οἷοί τε*: Hipp. Min. p. 375 E: *οὐκοῦν ἡ δυνατωτέρα καὶ σοφωτέρα αὕτη ἀμείνων οὖσα ἐφάνη καὶ ἀμφότερα μᾶλλον δυναμένη ποιεῖν καὶ τὰ καλὰ καὶ τὰ αἰσχρά*: Republ. VI, p. 491 E: *ἢ οἴει τὰ μεγάλα ἀδικήματα καὶ ἄκρατον πονηρίαν ἐκ φαύλης ἀλλ' οὐκ ἐκ νεανικῆς φύσεως τροφῇ διολλυμένης γίγνεσθαι; ἀσθενῆ δὲ φύσιν μεγάλων οὔτε ἀγαθῶν οὔτε κακῶν αἰτίαν ποτὲ ἔσεσθαι*: Gorg. p. 526 A: *ἀλλὰ γάρ, ὦ Καλλίκλεις, ἐκ τῶν δυναμένων εἰσὶ καὶ οἱ σφόδρα πονηροὶ γιγνόμενοι ἄνθρωποι· οὐδὲν μὴν κωλύει καὶ ἐν τούτοις ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγγίγνεσθαι, καὶ σφόδρα γε ἄξιον ἄγασθαι τῶν γιγνομένων*: Politic. p. 303 A etc.

90) Cf. Plat. Sympos. p. 215 c. intpp.

91) Verba sunt Julii Firmici Mathes. I. 3.

92) Hic est quem Plato appellat Republ. X, p. 619 C *ἐν τεταγμένῃ πολιτείᾳ τὸν πρότερον βίον βεβιωκότα, ἔθει ἄνευ φιλοσοφίας ἀρετῆς μετειληφότα*, ex eorum genere, qui in Phaedone p. 82 B dicuntur *οἱ τὴν δημοτικήν τε καὶ πολιτικὴν ἀρετὴν ἐπιτετηδευκότες, ἣν δὴ καλοῦσι σωφροσύνην τε καὶ δικαιοσύνην, ἐξ ἔθους τε καὶ μελέτης γεγονυῖαν ἄνευ φιλοσοφίας τε καὶ νοῦ*, de quibus tamen quid sentiat, luculenter declarat in Republ. VI, p. 506 C: *τί δέ, εἶπον, οὐκ ᾔσθησαι τὰς ἄνευ ἐπιστήμης δόξας ὡς πᾶσαι αἰσχραί; ὧν αἱ βέλτισται τυφλαί· ἢ δοκοῦσί τί σοι τυφλῶν διαφέρειν ὁδὸν ὀρθῶς πορευομένων οἱ ἄνευ νοῦ ἀληθές τι δοξάζοντες*; cf. etiam Acta Societ. Gr. T. I, p. 6 sq.

93) Phaed. p. 85 C: *δεῖν γὰρ περὶ αὐτὰ ἕν γε τι τούτων διαπράξασθαι, ἢ μαθεῖν ὅπῃ*

quamque in ipso vel adversarii agnoscunt vim ad persuadendum morumque commendationem [94]) utrum sua industria an aliena disciplina assecutus sit; quod etsi Porphyrius studio et doctrina factum esse tradit, hoc ipsum tamen in utramque partem accipi potest, utque omnino vix veri simile est eum, cujus fervidum ingenium jam in pueritia aliena imperia sequi recusasset, trito ab aequalibus itinere uti voluisse [95]), ita vel eorum exemplis, quos superius ab ipso disquisitionis limine removimus, monemur, ne quaecunque apud antiquos de reliqua ejus institutione traduntur incaute arripiamus. Neque enim in iis, quae hactenus exagitavimus, antiquorum testium sive fraudes sive errores de Socrate substitisse hoc docet, quod ex Demetrio Byzantio Diogenes Laertius, ex hoc plerique recentiorum exscripserunt, Critonem ejus ingenii Veneres adamasse eumque ab officinae ministerio

---

ἔχει ἢ εὑρεῖν: cf. Lach. p. 186 E, Alcib. I, p. 109 E, Legg. XII, p. 968 D, Demodoc. p. 381 E, similesque locos Aristotelis in Sophist. Elench. XXII. 14: *ὅ τις οἶδεν ἢ εὑρὼν ἢ μαθὼν οἶδε*, Maximi Tyr. Diss. XVI. 5, p. 296: *ἀνάγκη γὰρ ἢ εὑρόντα εἰδέναι ἢ μαθόντα*, Plutarchi in Quaestt. Platon. I. 3: *εἰ δὲ ἔστιν ἐπιστήμη τοῦ ἀληθοῦς, ἓν δὲ τὸ ἀληθὲς, οὐκ ἔλαττον ἔχει τοῦ εὑρόντος ὁ μαθὼν παρὰ τοῦ εὑρόντος* etc.

94) Sic ipse Aristoxenus apud Theodoret. XII, p. 1029: *ἔφη γὰρ μηδενὶ ἑτέρῳ ἐντετυχηκέναι πιθανωτέρῳ ἐκείνου· τοιαύτην εἶναι τήν τε φωνὴν καὶ τὸ στόμα καὶ τὸ ἐπιφαινόμενον ἦθος κ. τ. λ.*

95) Ut v. c. Wiggersius p. 19: *er suchte die Weisheit da, wo seine Mitbürger sie suchten, bei den vielversprechenden Sophisten und bei den berühmtesten Philosophen seiner Zeit, in den Schriften und Gesängen der Weisen der Vorzeit . . . unter der Anleitung dieser Lehrer machte er in den mathematischen, physikalischen und astronomischen Wissenschaften bedeutende Fortschritte* etc. Nec multo cautior Meiners. p. 349 sqq.: *er las daher schon als Jüngling alle merkwürdige Schriften alter und neuer Dichter und Weisen, und hörte auch alle Männer, die nach Athen kamen, um mit ihren Talenten und Kenntnissen zu wuchern oder zu glänzen* etc.

excitatum erudiisse [96]; quem etsi aequalem et tribulem suum per omnem vitam liberalissimis sumtibus sustentasse constat [97], amatorem tamen ejus haberi ipsa aetatis aequalitas non patitur, multoque probabilius erit Socratem in illa narratione cum discipulo suo Phaedone confusum esse, quem Crito communis magistri hortatu a turpis quaestus necessitate liberasse tradebatur [98], quam doctrinae suae elementa ei debuisse, quem ipse potius, donec viveret, discipulum haberet [99]; similis autem causa est Archelai philosophi, cujus etsi plurimi auctores antiqui

---

96) Diog. L. II. 20: *Κρίτωνα δ' ἀναστῆσαι αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ἐργαστηρίου καὶ παιδεῦσαι, τῆς κατὰ ψυχὴν χάριτος ἐρασθέντα, Δημήτριός φησιν ὁ Βυζάντιος*, unde v. c. Carpentarius p. 15: *On dit que ce fut Criton, qui le retira de la boutique, ayant admiré la beauté de son esprit, et ne jugeant pas raisonnable qu'un si grand génie demeurast perpetuellement attaché sur la pierre, le ciseau à la main.* De Demetrio Byzantio Peripatetico cf. Jonsium de scriptt. hist. philos. II. 18, p. 209 et W. A. S. Schmidtii disp. de fontibus veterum auctorum in enarrandis expeditionibus a Gallis in Macedoniam atque Graeciam susceptis, Berol. 1834. 8, p. 14, qui eum recte distinxit ab alio rerum scriptore, cujus multo major quam illius fides fuisse videtur.

97) Diog. L. II. 121: *οὗτος μάλιστα φιλοστοργότατα διετέθη πρὸς Σωκράτην καὶ οὕτως ἐπεμελεῖτο αὐτοῦ ὥςτε μηδέποτε λείπειν τι τῶν πρὸς τὴν χρείαν*: cf. Suidas p. 2360: *ὅς καὶ γνησίως διετέθη πρὸς Σωκράτην καὶ τὰ πρὸς τὴν χρείαν πάντα ἐδίδου αὐτῷ*, et Villoison. Anecdd. T. I, p. 273. *Ἡλικιώτην καὶ δημότην* suum Critonem ipse appellat Socrates apud Plat. Apol. p. 33 D.

98) Diog. L. II. 105 de Phaedone: *συνεάλω τῇ πατρίδι καὶ ἠναγκάσθη στῆναι ἐπ' οἰκήματος, ἀλλὰ τὸ θύριον προστιθεὶς μετεῖχε Σωκράτους, ἕως αὐτὸν λυτρώσασθαι τοὺς περὶ Ἀλκιβιάδην ἢ Κρίτωνα προὔτρεψε.* Alii Cebetem narrat, ut Gell. Noct. Att. II. 18 et Macrob. Saturn. I. 11, p. 252 Bip.; *ἐργαστηρίου* autem nomine, quod in narratione de Socrate (cf. not. 96) exstat, etiam *οἴκημα* hoc est *πορνεῖον* comprehendi potuisse, ostendunt Aeschin. adv. Timarch. §. 124 et Demosth. adv. Neaeram p. 1367 Rsk.

99) Quam parum omnino idoneus fuerit Crito ad Socratis ingenium existimandum, facete descripsit Plato in Phaedone p. 63 D et 115 C, ut mittam dialogum ipsius nomine inscriptum, ubi simul etiam, si quid illius rei Platoni notum fuisset, commemorandi locus erat.

Socratem familiarem fuisse narrant [100]), amasium certe, quod Aristoxenus tradidit [101]), ne hic quidem temporum rationes satis patiuntur [102]), utque Dionis ineptias mittam, qui Archelai in locum Homerum tanquam magistrum Socratis substituit [103]), ipse ille qui videtur antiquitatis consensus haud scio an multarum rerum dissensione admodum infirmetur. Quid quod eundem, quem Io Chius Archelaum in itinere Samio comitatum esse narraverat [104]), Plato nunquam nisi semel ludorum Isthmicorum spectandi causa Athenas reliquisse testatur [105]), quemque

---

100) Cf. Cic. Tuscul. V. 4, Sextus Emp. adv. Mathem. IX. 360, Diog. L. II. 16, Clem. Alex. Stromatt. I, p. 301, Euseb. Praep. Evang. XIV. 15, Augustin. de Civ. Dei VIII. 3, Origen. Philosoph. c. 9, Simplic. ad Aristot. Physic. f. 6 b etc.

101) Porphyr. ap. Theodoret. XII, p. 1030: *ἤδη δὲ περὶ τὰ ἑπτακαίδεκα ἔτη προςελθεῖν αὐτῷ Ἀρχέλαον τὸν Ἀναξαγόρου μαθητὴν, φάσκοντα ἐραστὴν εἶναι· τὸν δὲ Σωκράτην οὐκ ἀπώσασθαι τὴν ἔντευξίν τε καὶ ὁμιλίαν τὴν πρὸς τὸν Ἀρχέλαον, ἀλλὰ γενέσθαι παρ' αὐτῷ ἔτη συχνὰ, καὶ οὕτως ὑπὸ Ἀρχελάου προτραπῆναι πρὸς τὰ φιλόσοφα*: cf. Suidas p. 3368: *Ἀριστόξενος δὲ Ἀρχελάου πρῶτον αὐτὸν διακοῦσαι λέγει, γεγονέναι δ' αὐτοῦ καὶ παιδικά*, et Diog. L. II. 19.

102) Si quidem Anaxagoras natus erat Ol. LXX, Socrates autem Ol. LXXVII, vix veri simile est Archelaum illius discipulum Socratis aetatem multo superasse; praesertim quum nihil vestigii exstet Archelaum Anaxagorae operam dedisse antequam hic Athenas veniret, hoc autem Ol. LXXXI demum factum esse apparet ex Diog. L. II. 7; cf. Schaubach ad Anaxag. Fragmm. Lips. 1827. 8, p. 14 sq.

103) Orat. LV, p. 558 Morell.: *ἀλλὰ τοῦτό γε οἶμαι πολλοῖς εἶναι σαφὲς, εἴ τις ἔμπειρος ἀμφοῖν τοῖν ἀνδροῖν, ὅτι Σωκράτης τό γε ἀληθὲς Ὁμήρου μαθητὴς γέγονεν, οὐχ ὥςπερ ἔνιοι φασὶν Ἀρχελάου κ. τ. λ.*

104) Diog. L. II. 23: *Ἴων δὲ ὁ Χῖος καὶ νέον ὄντα εἰς Σάμον σὺν Ἀρχελάῳ ἀποδημῆσαι*, quae ex illius *Ὑπομνήμασι* desumta probabiliter suspicati sunt ejus vitae et studiorum enarratores Nieberdingius p. 83 et Koepkius p. 77, fidem autem non admodum magnam merere satis ostendent ea quae de isto homine dixi in Prooem. lectt. aestiv. 1836, p. IX.

105) Plat. Crit. p. 52 B: *καὶ οὔτ' ἐπὶ θεωρίαν πώποτε ἐκ τῆς πόλεως ἐξῆλθες ὅτι μὴ ἅπαξ εἰς Ἰσθμὸν, οὔτε ἄλλοσε οὐδαμόσε εἰ μή ποι στρατευσόμενος, οὔτε ἄλλην ἐποιήσω*

alii in tenera adolescentia Archelai consuetudine usum esse volebant, alii Anaxagora damnato demum ad ejus disciplinam sese applicasse perhibebant [106]; atque etiam si eos audiamus, qui contra veterum testimonia [107] Socratem Anaxagorae auditorem fuisse negant, non minore jure etiam de Archelai familiaritate dubitatum est [108]. Possint quidem ita haec omnia inter se con-

---

ἀποδημίαν πώποτε ὥςπερ οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι: quae quivis videbit tam universe tamque accurate dicta esse, ut profecto mirer Nieberdingium, qui hanc difficultatem ita expediri posse censuit ut Platonem eorum, quae Socrates adolescentulus egisset, rationem non habuisse suspicaretur.

106) Diog. L. II. 19: *ἀκούσας δὲ Ἀναξαγόρου κατά τινας . . . μετὰ τὴν ἐκείνου καταδίκην διήκουσεν Ἀρχελάου τοῦ φυσικοῦ*, quae quod Clintonus in Fast. Hellen. T. II, p. 49 ita concinnare conatus est, ut Anaxagoram jam Ol. LXXV Athenas venisse ibique quum per triginta annos commoratus esset, Ol. LXXXII Archelao scholam reliquisse statueret, quo tempore revera Socrates duodevicesimum annum agebat, quamvis speciose disputasse videatur, a Diogene tamen in duabus rebus gravissimis discessit. Neque enim illud exputavit, quomodo Socrates ante Archelaum, hoc est ante annum aetatis decimum et septimum, Anaxagoram audire potuerit, et damnationi Anaxagorae, quam Diogenes dicit, callide substituit discessum, ita ut iterum Athenas redierit, quum damnatum Ol. LXXXVII. 2 demum Euthydemo archonte esse constet, cf. Diodor. Sic. XII. 39; ipsa denique illa annorum computatio, secundum quam ille circa Salaminiae pugnae tempora Athenas venisset, adeo jam a Schaubachio explosa est, ut si Diogenem sequamur, Archelai disciplinae nonnisi quadriennii spatium ab Ol. LXXXVII. 2 usque ad Ol. LXXXVIII. 1 relinquatur; hoc enim anno, mortuo Lampsaci Anaxagora, Archelaum ibidem ejus scholam suscepisse testatur Eusebius Praep. Evang. X. 14; cf. Schaubach l. c. p. 22 sq.

107) Cf. Diog. L. II. 45: *ἀμφότεροι δὲ ἤκουσαν Ἀναξαγόρου, καὶ οὗτος καὶ Εὐριπίδης*, et Suidas l. c.: *εἶτα φιλοσοφήσας διὰ τὸ ἀκοῦσαι Ἀναξαγόρου τοῦ Κλαζομενίου, εἶτα Δάμωνος, εἶτα Ἀρχελάου.*

108) Ritter Gesch. d. ion. Philos. p. 301: *sehr unwahrscheinlich ist die Sage, daſs Sokrates sein Schüler gewesen sey; denn in diesem Falle würden ihn wohl Platon und Aristoteles nicht mit Stillschweigen übergangen haben;* cf. Gesch. d. alten Phil. T. I, p. 341: *ob er dem Sokrates bekannt gewesen sey, bleibt zweifelhaft, ungeachtet der Menge der späteren Zeugen, und wenn er es gewesen, so wäre es das sicherste Zeugniſs für seine geringe Bedeutung, daſs ihn weder Xenophon noch Platon erwähnen,* et Wendtium ad Tennemanni Gesch. d. griech. Philos. bis auf Sokrates, Lips. 1829. 8, p. 446.

ciliandi videri, ut statuamus Socratem adolescentem in Archelai notitiam pervenisse et ab hoc in ipsius Anaxagorae disciplinam traductum esse, sed quo uno loco haec suspicio commendari possit Platonis in Phaedone, ubi Socrates se adfuisse narrat, quum Anaxagorae liber ab aliquo recitaretur [109]), ut taceam eum a nonnullis pro argumento habitum esse unde Anaxagoram a Socrate coram docentem non auditum esse appareret [110]), propius inspectus illud certe ostendit, philosophum, simulatque Anaxagorae placita cognovisset, abalienari potius ab iis quam ad diuturnam hominis consuetudinem invitari debuisse, neque omnino certum est illic Socratis potius an Platonis memoria contineatur, quorum quum alterum vix aliunde demonstrari possit naturae cognitioni operam dedisse [111]), alterum autem ab hac

---

109) Phaed. p. 97 B: *ἀλλ' ἀκούσας μέν ποτε ἐκ βιβλίου τινός, ὡς ἔφη, Ἀναξαγόρου ἀναγιγνώσκοντος καὶ λέγοντος ὡς ἄρα νοῦς ἐστιν ὁ διακοσμῶν κ. τ. λ.*

110) Cf. Bayle Dictionn. histor. T. I, p. 227: *Au reste nous pouvons prouver par ce discours de Socrate, qu'il n'avoit pas été le disciple d'Anaxagoras; car s'il l'eût été, eût il eu besoin d'apprendre d'un homme qui lisoit les livres d'Anaxagoras, que l'on y établissoit un entendement pour la cause de toutes les choses?* quem sequuntur Meiners T. I, p. 724 et Buhle Lehrb. d. Gesch. d. Philos. T. I, p. 209.

111) Ita enim illic sub Socratis persona loquitur Plato p. 96 A: *ἐγὼ γάρ, ἔφη, ὦ Κέβης, νέος ὢν θαυμαστῶς ὡς ἐπεθύμησα ταύτης τῆς σοφίας, ἣν δὴ καλοῦσι περὶ φύσεως ἱστορίαν*, quibus illos, quorum superius not. 1 nomina posui, cupide usos esse consentaneum est; veteres tamen nihil praeterea de his Socratis studiis compertum habuisse vel earum rationum infirmitas docet, quibus Diogenes Laërtius II. 45 similem suspicionem fulcire conatur: *δοκεῖ δέ μοι καὶ περὶ τῶν φυσικῶν ὁ Σωκράτης διειλέχθαι, ὅπου γε καὶ περὶ προνοίας τινὰ διαλέγεται, καθά φησι καὶ Ξενοφῶν, καίτοι περὶ μόνων τῶν ἠθικῶν ποιεῖσθαι τοὺς λόγους αὐτὸν εἰπών*, quasi non ea ipsa, quae Socrates apud Xenophontem in Mem. I. 4. 6 de providentia divina disputat, ad

ipsa disputatione ad eam doctrinae partem transire videamus, quam non magis quam illam de amore quisquam Socrati cum Platone communem fuisse contendet, ne hujus quidem loci eam indolem esse apparebit, ut si quis inde vel olim aliquid de Socratis rudimentis in philosophia collegerit vel etiamnunc colligi posse censeat, caute factum arbitremur [112]. Aristophanis quoque Nubes, ubi omnino non tam Anaxagorae et Archelai quam Democriti et Diogenis Apolloniatae placita personatus Socrates venditat, ab hac quaestione prorsus alienam esse satis mihi dudum demonstrasse videor [113], ipsiusque poëtae verbis confirmare licet, qui si Socratem propter doctrinam potius quam propter externum habitum et fastus philosophici suspicionem exagitare voluisset, certe non hac potissimum de causa eum in Nubium tutela esse praedicasset,

ὅτι βρενθύει τ' ἐν ταῖσιν ὁδοῖς καὶ τὠφθάλμω παραβάλλεις
κἀνυπόδητος κακὰ πόλλ' ἀνέχει κἀφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς,

sed ut Prodicum *σοφίας καὶ γνώμης ἕνεκα,* quae tantum abest

---

morum potius conformationem quam ad rerum naturalium existimationem pertineant, cui Stoicorum demum aetate locus de providentia assignatus esse videtur, neque melioris farinae sunt, quae addit: *ἀλλὰ καὶ Πλάτων ἐν τῇ ἀπολογίᾳ μνησθεὶς Ἀναξαγόρου καὶ ἄλλων φυσικῶν, ἃ Σωκράτης ἀρνεῖται, περὶ τούτων αὐτὸς λέγει, καίπερ ἀνατιθεὶς πάντα Σωκράτει:* quod autem Euseb. Praep. Evang. XV. 62 cum ait *χαίρειν εἰπόντα τῇ Ἀναξαγόρου καὶ Ἀρχελάου φυσιολογίᾳ* ad rerum domesticarum curam se contulisse, ipsum antea illam curasse non ostendit.

112) Phaedonis locum ad ipsum Platonem sine ulla dubitatione retulerunt et Schleiermacherus in interpr. German. T. II, P. 3, p. 10 et Stallbaumius in Prolegg. ad Phileb. p. XXI, not. 3.

113) In Prooem. lectt. aestiv. 1833, quod recusum est in Seebod. et Jahn. Archiv f. Philol. T. II, p. 412 sqq.

ut in hujus laudem verti liceat [114]), ut nulla re magis philosophia Socratica sophisticae contagionis specie liberari videatur, quam quod ipse Aristophanes omnem hominis cum nebulosa illa sapientia similitudinem in vultu atque incessu posuit; quod autem nonnulli Socratem et Archelaum ita inter se conjungere conati sunt, ut hunc jam moralem philosophiae partem naturali addidisse narrarent, quodque alias Socrati demum tribuitur [115]) in illum transferrent [116]), et ipsum alio loco exposui ita comparatum esse, ut illius placitis omnis potius philosophiae moralis facultas sublata quam fundamenta posita esse videantur [117]), si quidem Archelaus omnia quae ad honestatis atque justitiae existimationem pertinerent, non divinis vel naturalibus sed humanis legibus contineri aque legislatorum arbitrio pendere voluit [118]), ipsumque *φυσικοῦ* cognomen, quod ei peculiare erat [119]), ostendit eum certarum causarum necessitatem in rerum natura tantum

---

114) Ut Welckero visum est in Rh. Mus. T. I, p. 12.

115) Diog. L. III. 56: *οὕτως καὶ τῆς φιλοσοφίας ὁ λόγος πρότερον μὲν ἦν μονοειδὴς ὡς ὁ φυσικὸς, δεύτερον δὲ Σωκράτης προσέθηκε τὸν ἠθικόν*: cf. Davis. ad Cic. Tuscul. V. 4.

116) Diog. L. II. 16: *ἔοικε δὲ καὶ οὗτος ἅψασθαι τῆς ἠθικῆς· καὶ γὰρ περὶ νόμων πεφιλοσόφηκε καὶ καλῶν καὶ δικαίων, παρ' οὗ λαβὼν Σωκράτης τῷ αὐξῆσαι ἐς τὸ εὑρεῖν ὑπελήφθη*: cf. Sextus Emp. adv. Mathem. VII. 14.

117) Gesch. u. System d. platon. Philos. T. I, p. 234.

118) Diog. L. II. 16: *καὶ τὸ δίκαιον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ*: cf. Wendtium l. l. p. 431 sq.

119) Diog. L. II. 16: *οὗτος πρῶτος ἐκ τῆς Ἰωνίας τὴν φυσικὴν φιλοσοφίαν μετήγαγεν Ἀθήναζε, καὶ ἐκλήθη φυσικὸς, παρὸ καὶ ἔληξεν ἐν αὐτῷ ἡ φυσικὴ φιλοσοφία, Σωκράτους τὴν ἠθικὴν εἰςαγαγόντος.* Themistius quoque Orat. XIII, p. 119, etsi Socratis magistrum Archelaum appellat, naturalem tantum ejus doctrinam novit.

quaesivisse, quod Socratem semper non modo tanquam inutile et infructuosum verum etiam tanquam impium et temerarium dissuasisse constat [120]). Et hoc quidem facile concedimus, quod etiam Schaubachio totam litem optime dirimere visum est [121]), Socratem, qui se ipse apud Xenophontem narrat ex quo inde tempore intelligere quae audiret coeperit, quidquid boni posset et quaerere et discere nunquam desiisse [122]), Archelaum pariter atque Anaxagoram, donec Athenis versarentur, haudquaquam neglexisse; eosdem tamen eum aut probasse aut talem iis operam dedisse, ut alterius eorum discipulus dici posset, tam serae aetatis auctoribus non temere credemus, qui quum sui temporis more continuas philosophorum series nectere interiorumque discriminum incuriosi suum cuique successorem invenire studerent, nihil commodius existimare poterant, quam ut Socratem, Atticae philosophiae principem ac parentem, uni ex illis discipulum darent, quos philosophiam ex Ionia Athenas devexisse audirent [123]), tan-

120) Xenoph. Mem. Socr. IV. 7. 6: *ὅλως δὲ τῶν οὐρανίων, ᾗ ἕκαστα ὁ θεὸς μηχανᾶται, φροντιστὴν γίγνεσθαι ἀπέτρεπεν· οὔτε γὰρ εὑρετὰ ἀνθρώποις αὐτὰ ἐνόμιζεν εἶναι, οὔτε χαρίζεσθαι θεοῖς ἂν ἡγεῖτο τὸν ζητοῦντα ἃ ἐκεῖνοι σαφηνίσαι οὐκ ἐβουλήθησαν· κινδυνεῦσαι δ' ἂν ἔφη καὶ παραφρονῆσαι τὸν ταῦτα μεριμνῶντα οὐδὲν ἧττον ἢ Ἀναξαγόρας παρεφρόνησεν ὁ μέγιστον φρονήσας ἐπὶ τῷ τὰς τῶν θεῶν μηχανὰς ἐξηγεῖσθαι κ. τ. λ.*

121) Cf. Schaubach l. c. p. 25.

122) Xenoph. Apolog. Socr. §. 16: *σοφὸν δὲ πῶς οὐκ ἄν τις εἰκότως ἄνδρα φήσειεν εἶναι, ὃς ἐξ ὅτουπερ ξυνιέναι τὰ λεγόμενα ἠρξάμην, οὐ πώποτε διέλειπον καὶ ζητῶν καὶ μανθάνων ὅ τι ἐδυνάμην ἀγαθόν;* quae etsi Socratem nunquam dixisse certum sit, Xenophontem tamen ad magistri memoriam vindicandam vere scripsisse nullus dubito.

123) Hoc enim de Archelao Diogenes Laërtius sup. not. 119, de Anaxagora Clemens Alexandr. Stromatt. I, p. 301; cf. Schaubach p. 22.

tumque abest ut quamvis magno illo testium numero movear, Archelaum obscuri nominis philosophum Socraticae doctrinae fundamenta posuisse, ut illos omnes cum Rittero (cf. not. 108) uno Aristotelis silentio elevari arbitrer; de Anaxagorae vero placitis ipse apud Xenophontem pariter ac Platonem ita disputat, ut ne tantum quidem illi tribuere videatur, quantum nos nunc tribuere solemus [124]), idemque etiam de ceteris philosophis judicari poterit, quorum eum aut coram aut per libros eorum notitiam accepisse constet. Heracliti certe commentarios, quos ipsi Euripides legendos dedisse fertur, ita huic reddidit, ut satis declararet non tantum sibi eorum fructum videri, ut non ex iis, quae sua sponte intellexisset, de reliquorum praestantia conjecturam facere quam in ipsos sese ingurgitare mallet [125]), atque etiam si certum esset, de quo ipso ambigi posse alio loco monui [126]), veterum doctorum libros, quos se cum amicis suis evolvere apud Xenophontem profitetur [127]), philosophorum potius quam poë-

---

124) Praeter locos sup. not. 103 et 120 laudatos cf. etiam Plat. Apol. Socr. p. 26 D, ubi de Anaxagora vel cum contemtu ita loquitur, ut talia prorsus a se aliena esse significet.

125) Diog. L. II. 22: *φασὶ δ' Εὐριπίδην αὐτῷ δόντα τοῦ Ἡρακλείτου σύγγραμμα ἔρεσθαι, τί δοκεῖ· τὸν δὲ φάναι· ἃ μὲν συνῆκα, γενναῖα, οἶμαι δὲ καὶ ἃ μὴ συνῆκα· πλὴν Δηλίου γέ τινος δεῖται κολυμβητοῦ.*

126) Cf. Prooem. aestiv. 1833, p. IV, not. 60, et Geschichte und System d. platon. Philos. T. I, p. 109.

127) Xenoph. Mem. I. 6. 14: *καὶ τοὺς θησαυροὺς τῶν πάλαι σοφῶν ἀνδρῶν, οὓς ἐκεῖνοι κατέλιπον ἐν βιβλίοις γράψαντες, ἀνελίττων κοινῇ σὺν τοῖς φίλοις διέρχομαι, καὶ ἄν τι ὁρῶμεν ἀγαθὸν ἐκλεγόμεθα καὶ μέγα νομίζομεν κέρδος ἐὰν ἀλλήλοις ὠφέλιμοι γιγνώμεθα,*

tarum fuisse, ipse ille locus demonstraret eum non tam eo consilio legisse ut illorum placita edisceret, sed ut si quid boni in iis invenisset, in suum amicorumque usum converteret; Parmenidem autem, quem se admodum juvenem una cum illius auditore Zenone Athenis versantem vidisse apud Platonem narrat [128]), si quis philosophiae semina ipsi reliquisse censeat, profecto non minus magistrum cum discipulo confundat, quam qui inter antiquos eum magnam doctrinae partem e Pythagorae disciplina hausisse volebant [129]), multoque rectius cum Galaxidoro

---

ubi quod *σοφῶν* vocabulo etiam poëtas intelligi posse dixi, aliquatenus confirmatur alio loco IV. 2. 1: *καταμαθὼν γὰρ Εὐθύδημον γράμματα πολλὰ συνειλεγμένον ποιητῶν τε καὶ σοφιστῶν τῶν εὐδοκιμωτάτων κ. τ. λ.*

128) Cf. Theaetet. p. 183 E: *συνπροςέμιξα γὰρ δὴ τῷ ἀνδρὶ πάνυ νέος πάνυ πρεσβύτῃ καὶ μοι ἐφάνη βάθος τι ἔχειν παντάπασι γενναῖον*: Sophist. p. 217 C: *οἷόν ποτε καὶ Παρμενίδῃ χρωμένῳ καὶ διεξιόντι λόγους παγκάλους παρεγενόμην ἐγὼ νέος ὢν, ἐκείνου μάλα δὴ τότε ὄντος πρεσβύτου*: inque primis Parmen. p. 127 B: *τὸν μὲν οὖν Παρμενίδην εὖ μάλα ἤδη πρεσβύτην εἶναι . . . περὶ ἔτη μάλιστα πέντε καὶ ἑξήκοντα, Ζήνωνα δὲ ἐγγὺς ἐτῶν τετταράκοντα τότε εἶναι . . . Σωκράτη δὲ εἶναι τότε σφόδρα νέον*: quorum locorum auctoritatem contra Athenaeum XI. 113, p. 505 F et Macrobium Saturn. I. 1, p. 202 Bip. recte tuentur Schleiermacherus in interpr. German. T. I, P. 2, p. 99, Clintonus in Fast. Hellen. T. II, p. 364, Karstenius in Philos. Gr. reliqu. T. I, P. 2, p. 4 sq., Brandis in Gesch. d. griech. röm. Philos. T. I, p. 375, modo ne omnes nescio qua fraude inducti Parmenidis adventum circa Ol. LXXX posuissent, quo tempore Socratem quindecim annorum puerum, secundum ea quae superius de ipsius adolescentia exposuimus, vixdum philosophiae operam dedisse consentaneum est. Accedit quod Synesius in Calvit. Enc. c. 17 claris verbis testatur Socratem tunc vicesimum quintum aetatis annum egisse; quod si hic Ol. LXXVII. 4 natus erat, Parmenides Athenas venit Ol. LXXXIV. 1, natus autem erat ipse Ol. LXVII. 4, Zeno Ol. LXXIV. 1, idque etiam Eusebii calculis convenit, qui utriusque florem Ol. LXXXI posuit, ut Diogenis Laërtii rationes diversae non audiendae esse videantur.

129) Cf. Plutarch. de Curios. c. 2: *Σωκράτης δὲ περιῄει διαπορῶν, τί Πυθαγόρας λέγων ἔπειθε*, et Numenium apud Euseb. Praep. Evang. XIV. 5, p. 728: *ὁ δὲ Πλάτων πυθαγορίσας, ᾔδει δὲ τὸν Σωκράτην μηδαμόθεν ἢ ἐκεῖθεν διὰ τὰ αὐτὰ ταῦτα εἰπεῖν τε καὶ γνόντα εἰρηκέναι*

Plutarcheo dicemus Socratem philosophiam, quam a Pythagora, Empedocle aliisque superstitione et fabulis inquinatam et quasi delirantem invenisset, ad bonam frugem et sobrietatem naturae consentaneam revocasse [130]); quod etsi illum priores philosophos cognitos habuisse ostenderet, discipulum tamen eorum dici non posse clarissime comprobat. His igitur comprehensis probabilissimum existimamus nostrum non modo in agendo verum etiam in discendo idem servasse, quod deinde etiam ipsius auditor Aristippus prae se tulit, ut res sibi non se rebus subjungere conaretur, quamque adolescens vel invito patre sibi libertatem vindicasset, etiam in eo quod ipse sibi elegisset vitae genere retinuisse, ut nullius addictus in verba jurare magistri certam disciplinae formulam ne brevi quidem tempore sequeretur, quoque diligentius circumspiceret, qui alicujus artis principes in civitate haberentur [131]), eo minus se uni eorum totum addiceret, sed ipsa doctorum copia et diversitate, quum sibi quisque solus sapere videretur, de omnis hujus doctrinae vanitate monitus [132]),

---

κ. τ. λ., cujus tamen quanta fides sit in Socrate illustrando, hinc apparet, quod paulo ante diversitatem scholarum Socraticarum inde derivavit, quia tres deos Socrates posuerit et pro unius cujusque natura varie philosophatus sit!

130) De Socr. daem. c. 9: *φασμάτων δὲ καὶ μύθων καὶ δεισιδαιμονίας ἀνάπλεω φιλοσοφίαν ἀπὸ Πυθαγόρου καὶ Ἐμπεδοκλέους δεξάμενος εὖ μάλα βεβακχευμένην εἴθισεν ὥςπερ τὰ πράγματα πεπνύσθαι καὶ λόγῳ νήφοντι μετιέναι τὴν ἀλήθειαν.*

131) Xenoph. Oeconom. II. 16: *ὁμολογῶ δὲ μεμεληκέναι μοι, οἵτινες ἕκαστα ἐπιστημονέστατοί εἰσι τῶν ἐν τῇ πόλει.*

132) Cf. Plat. Apol. Socr. p. 22: *οἱ μὲν μάλιστα εὐδοκιμοῦντες ἔδοξάν μοι ὀλίγου δεῖν τοῦ πλείστου ἐνδεεῖς εἶναι ζητοῦντι κατὰ τὸν θεὸν . . . διὰ τὸ τὴν τέχνην καλῶς ἐξεργάζεσθαι*

quaecunque non a philosophis modo verum etiam rhetoribus, geometris et quolibet artificum genere circumeundo et colloquendo percepisset, ad vitae usum et prudentiam civilem, quam solam humanis studiis dignam judicasset, transferret [133]); unde facile intelligitur, quamvis magnam ingenio excolendo industriam adhibuerit, tanti proventus honorem non certo alicui homini sed ipsius animi divinitati deberi, quam etiam morum pravam indolem in optimam convertisse diximus, magistris autem, etiam si quos non errore aut ludibrio [134]) sed ex idoneorum testium fide ei tribui videamus, illud tantum concedendum esse, ut

---

ἕκαστος ἠξίου καὶ τἆλλα τὰ μέγιστα σοφώτατος εἶναι, καὶ αὐτῶν αὕτη ἡ πλημμέλεια ἐκείνην τὴν σοφίαν ἀπέκρυπτε κ. τ. λ.

133) Dio Chrysost. Orat. LX, p. 580 Morell.: *καὶ τῶν φιλοσόφων ἤδη τινὲς τοιοῦτοι γεγόνασιν, ὥςτε ὁποῖον ἂν μῦθον ἢ λόγον λάβωσιν ἕλκοντες καὶ πλάττοντες κατὰ τὴν αὐτῶν διάνοιαν ὠφέλιμον καὶ φιλοσοφίᾳ πρέποντα ἀπέδειξαν, οἷον δὴ μάλιστα ἀκούομεν Σωκράτην γενέσθαι· ἐκεῖνος γὰρ εἰς ἅπαντας δὴ λόγους καὶ πάσας διατριβὰς κατῄει καὶ πρὸς ῥήτορας καὶ πρὸς σοφιστὰς καὶ πρὸς γεωμέτρας καὶ μουσικοὺς καὶ παιδοτρίβας καὶ τοὺς ἄλλους δημιουργοὺς, καὶ ἐν παλαίστραις καὶ ἐν συμποσίοις καὶ ἐν ἀγορᾷ οὐκ ἐκωλύετο ἐξ ἅπαντος τρόπου φιλοσοφεῖν κ. τ. λ.*

134) His vero nullus dubito etiam Aristagoram et Diagoram addere, quos interpretes Aristophanis Nubb. v. 829 et ipsos Socratis magistros perhibent; et Diagorae quidem mentionem manifestum est eodem scholiastarum more, cujus et superius p. 16 exemplum posuimus, ex ipso demum poëtae loco repetitam esse, ubi quum Diagorae athei cognomen *Μήλιον* in Socratem comicum quippe et ipsum atheum translatum viderent, statim etiam verum Socratem quasi didicisse impietatem a Diagora finxerunt, non majore jure quam si Hipponem ei magistrum dedissent, quem et ipsum Clem. Alex. Protrept. p. 15 A et Arnobius IV. 29 pro Rhegino Melium fecerunt; de Aristagora autem nihil praeterea notum est, nisi ex Suida, qui eum dithyrambicum poëtam nominat, quem tamen quum multa ex eodem fonte cum scholiastis Aristophanicis compilasse constet, veri simillima est suspicio G. Hermanni, pro Aristagora utrobique Diagorae nomen reponendum esse, quem schol. Ranar. v. 323 eundem *διθυραμβοποιὸν* appellat; cf. Meierus in Erschii et Gruberi Encyclop. P. XXIV, p. 446 sqq.

Socratem eorum opera quantum e re sua esset usum esse, non illis tanquam discipulum accuratam operam dedisse statuamus. Atque hoc etiam in eum cadere videtur, quo neminem clarius apud Platonem magistrum sibi exstitisse profitetur, Prodicum Ceum sophistam, quem se de recta vocabulorum ratione disserentem identidem audivisse praedicat [135]), ejusdem tamen ipse narrat viliorem tantum scholam, quae unius drachmae pretio constaret, a se auditam esse, alteram, quam quinquaginta drachmis Prodicus venderet, se non frequentasse [136]), quod ne quis illum invitum propter rei familiaris inopiam omisisse arbitretur, recogitet ipsius amicos, qui verbulo tantum admoniti omnibus ejus desideriis certatim prospexerunt [137]) idemque, si opus fuisset, Prodico fecissent, quod Glauco in simili causa Thrasymacho se fac-

135) Plat. Menone p. 96 D: *κινδυνεύομεν, ὦ Μένων, ἐγώ τε καὶ σὺ φαῦλοί τινες εἶναι ἄνδρες, καὶ σέ τε Γοργίας οὐχ ἱκανῶς πεπαιδευκέναι καὶ ἐμὲ Πρόδικος*: Protag. p. 341 A: *σὺ δὲ ἄλλων πολλῶν ἔμπειρος ὢν ταύτης ἄπειρος εἶναι φαίνει, οὐχ ὥςπερ ἐγὼ ἔμπειρος διὰ τὸ μαθητὴς εἶναι Προδίκου τουτουΐ*: Charmid. p. 163 D: *ὦ Κριτία, ἦν δ' ἐγὼ, καὶ εὐθὺς ἀρχομένου σου σχεδὸν ἐμάνθανον τὸν λόγον, ὅτι τὰ οἰκεῖά τε καὶ τὰ αὑτοῦ ἀγαθὰ καλοίης καὶ τὰς τῶν ἀγαθῶν ποιήσεις πράξεις· καὶ γὰρ Προδίκου μυρία τινὰ ἀκήκοα περὶ ὀνομάτων διαιροῦντος*: Hipp. Maj. p. 282 C: *ὁ ἡμέτερος ἑταῖρος Πρόδικος κ. τ. λ.*

136) Plat. Cratyl. p. 384 B: *εἰ μὲν οὖν ἐγὼ ἤδη ἀκηκόη παρὰ Προδίκου τὴν πεντηκοντάδραχμον ἐπίδειξιν, ἣν ἀκούσαντι ὑπάρχει περὶ τοῦτο πεπαιδεῦσθαι, ὥς φησιν ἐκεῖνος, οὐδὲν ἂν ἐκώλυέ σε αὐτίκα μάλα εἰδέναι τὴν ἀλήθειαν περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος· νῦν δὲ οὐκ ἀκήκοα, ἀλλὰ τὴν δραχμιαίαν, οὔκουν οἶδα πῇ ποτε τὸ ἀληθὲς ἔχει περὶ τῶν τοιούτων*: cf. Welcker l. c. p. 22 sqq. quem tamen nollem Axiochi quoque locum p. 366 C, ineptissimi scioli imitationem putidissimam, serio adhibuisse!

137) Seneca de Beneficiis VII. 24: *Socrates amicis audientibus, emissem, inquit, pallium, si numos haberem; neminem poposcit, omnes admonuit; a quo acciperet, ambitus fuit ... quantulum enim erat quod Socrates accipiebat; at multum erat eum fuisse, a quo Socrates acciperet*, quam non video cur fabulam appellent Meiners. l. c. p. 359 et Luzac. l. c. p. 247.

turum pollicetur [138]); at opinor ipse Socrates Prodici disciplinam gustare quam gustata perfrui maluit, ac licet multa in Prodico fuerint, quae majorem illius quam reliquorum sophistarum cum Socrate necessitudinem conciliare possent [139]), tamen et ipsum illud dictum in Cratylo manifestam hominis irrisionem continet, qui circulatoria vanitate, si quem ipse pecunia accepta instituisset, omnibus quaestionibus solvendis parem fore promiserit, et in omnibus Platonis sermonibus, qui disciplinae Prodiceae indicium continere videantur, haud scio an aliquid cavillationis lateat. Nam ut Hippiam mittam, ubi familiarem tantum sibi Prodicum appellat, ne Protagorae quidem locus in censum venire potest, ubi quum coram ipso Prodico loquatur, vel humanitatis causa, etiam si semel illum docentem audierat, discipulum ejus se profiteri poterat, nedum in tanta calliditate, qua Protagoram refutans et modestiae speciem servare et illum tanquam socium in partes suas trahere conatur; in Menone autem facile apparet Prodici mentionem ideo tantum injici, ut Socrates Menonem, cui Gorgianae disciplinae defectum exprobrat, similis fortunae simulatione quasi consoletur, mirorque Welckerum, qui hoc

138) Apud Plat. Republ. I, p. 337 D: *ἡδὺς γὰρ εἶ, ἔφη, ἀλλὰ πρὸς τῷ μαθεῖν καὶ ἀπότισον ἀργύριον. Οὐκοῦν ἐπειδάν μοι γένηται, εἶπον. Ἀλλ' ἔστιν, ἔφη ὁ Γλαύκων· ἀλλ' ἕνεκα ἀργυρίου, ὦ Θρασύμαχε, λέγε· πάντες γὰρ ἡμεῖς Σωκράτει εἰσοίσομεν.*

139) Cf. Welckeri disputationem: Prodikos von Keos, Vorgänger des Sokrates, in Rh. Mus. T. I, p. 11 sq. et quae ipse de hoc argumento dixi in Gesch. und System d. platon. Philos. T. I, p. 230.

artificio neglecto Socratem etiam in doctrina morali Prodicum magni fecisse hinc collegit, quum eae quaestiones, quae in Menone tractantur, ab iis quae se alias ab illo didicisse jactat, prorsus alienae sint; neque in Charmide, quamvis ad verborum discrimina a Prodico tradita redit, illius disciplinam praedicandi magis quam Critiae exagitandi causa commemorat, quem hoc ipso nomine reprehendit, quia Prodici instar verborum argutias significationesque a vulgari sermonis usu recedentes captasset; quod etsi tantum Prodico Socratem tribuisse credamus, ut non modo scholis ejus, quae quidem ad communem hominum captum dirigerentur, interesset, sed et commentarios legeret memoriterque teneret [140]) et discipulos ei, quorum ipse curam suscipere nollet, commendaret [141]), magistro tamen illo usum esse, hoc est auctorem et quasi ducem ejus viae habuisse, qua aut ad recti honestique cognitionem aut ad dicendi facultatem et disserendi artem pervenerit, eo magis negabimus, quo saepius ipsius discipulum Platonem easdem illas disciplinae Prodiceae cupedias ridere videmus [142]). Accedit quod eo tempore, quo primum

140) Xenoph. Mem. Socr. II. 1. 21 sqq.

141) Plat. Theaetet. p. 151: *ἐνίοτε δὲ, ὦ Θεαίτητε, οἳ ἄν μοι μὴ δόξωσί πως ἐγκύμονες εἶναι, γνοὺς ὅτι οὐδὲν ἐμοῦ δέονται, πάνυ εὐμενῶς προμνῶμαι, καὶ ξὺν θεῷ εἰπεῖν πάνυ ἱκανῶς τοπάζω οἷς ἂν ξυγγενόμενοι ὄναιντο· ὧν πολλοὺς μὲν δὴ ἐξέδωκα Προδίκῳ, πολλοὺς δὲ ἄλλοις σοφοῖς τε καὶ θεσπεσίοις ἀνδράσι*: quae tamen ipsa quivis videbit ironia non carere et Prodici disciplinam Socraticae opponere magis quam comparare.

142) Cf. Ast. Plat. Leben u. Schriften p. 72 et Spengel. *Τεχν. Συναγ.* p. 47 sqq.

Athenas Prodicus advenisse videtur [143]), jam eo aetatis Socrates provectus erat, ut eum quid sibi in omni studiorum genere sequendum esset dudum apud se constitutum habuisse credibile sit; quem quo cupidius Prodici scholas adiisse statuimus, eo magis consentaneum erit jam tum intellexisse, quod et ipsius et Platonicae doctrinae caput est, si quis recte et ordine in disputando procedere velit, a verborum significatione et notationibus rerum auspicari debere [144]); utque veram ipsius vocem fuisse concedamus, qua satius judicasse dicitur artis usum sero quam nunquam percipere [145]), non tamen inde sequitur, ut eum in aliqua philosophiae parte, quam quidem omnino amplecti voluerit, serae eruditionis fuisse statuamus, sed illam quidem elegantioribus artibus, ut musicae et saltationi, relinquemus, quibus pariter ut carminibus pangendis in carcere [146]) jam senex operam dedisse fertur [147]), de philosophia autem sic habebimus, eum quidquid

143) Hoc est Ol. LXXXVI aut LXXXVII (cf. Welcker. l. c. p. 6), quo tempore Socrates inter trigesimum et quadragesimum annum medius erat.

144) Arrian. Dissertt. Epictett. I. 17. 12: *Σωκράτης δ' οὐ λέγει; καὶ περὶ τίνος γράφει Ξενοφῶν, ὅτι ἤρχετο ἀπὸ τῆς τῶν ὀνομάτων ἐπισκέψεως τί σημαίνει ἕκαστον*: cf. Xenoph. Mem. IV. 6. 1 et Plat. Phaedr. p. 237 C: *περὶ παντὸς, ὦ παῖ, μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύεσθαι· εἰδέναι χρὴ περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλὴ, ἢ παντὸς ἁμαρτάνειν ἀνάγκη.*

145) Cf. locos sup not. 72 laudatos et Sextum Emp. adv. Mathem. VI. 13: *καθὸ καὶ Σωκράτης καίπερ βαθύγηρως ἤδη γεγονὼς οὐκ ᾐδεῖτο πρὸς Λάμπωνα τὸν κιθαριστὴν φοιτῶν, καὶ πρὸς τὸν ἐπὶ τούτῳ ὀνειδίσαντα ἔλεγεν ὅτι κρεῖττόν ἐστιν ὀψιμαθῆ μᾶλλον ἢ ἀμαθῆ διαβάλλεσθαι.* Idem tamen Stobaeus in Floril. XXIX. 68, p. 201 claris verbis ad Conni disciplinam refert.

146) Plat. Phaed. p. 60 D.

147) Lucian. de Saltat. c. 25: *ὁ Σωκράτης δὲ σοφώτατος ἀνὴρ . . . οὐ μόνον ἐπῄνει τὴν*

in ea profecerit, vitandis potius quam sequendis aliorum vestigiis profecisse, totamque doctrinae suae rationem ita instituisse, ut ipse magis omnium sequentium philosophorum magister, quam unius ex antecedentibus discipulus dici possit. Quanquam etiam de musica dubitari potest, num praeter eam, quam tota se vita tractasse ait, hoc est philosophiam [148]), data opera aut id quod in pueritia accepisset retractaverit [149]), aut quum olim voce tantum canere didicisset, nunc ad instrumenta quoque transierit [150]); quorum etsi neutrum per se absonum sit, testium tamen fides vel praeter eos, quos superius per Conni mentionem in fraudem adductos esse ostendimus, satis infirmis fundamentis nititur, atque etiam missis Aspasiae tibicinis, quarum ipsarum fontes satis superius indicavi [151]), mirandum restat, quomodo

ὀρχηστικὴν, ἀλλὰ καὶ ἐκμαθεῖν αὐτὴν ἠξίου . . . καὶ οὐκ ᾔδεῖτο γέρων ἀνὴρ ἓν τῶν σπουδαιοτάτων μαθημάτων καὶ τοῦτο ἡγούμενος εἶναι: cf. Xenoph. Sympos. II. 17, Diog. L. II. 32, Plut. Praec. sanit. p. 124 E etc.

148) Plat. Phaed. p. 61 B: *ὡς φιλοσοφίας μὲν οὔσης μεγίστης μουσικῆς, ἐμοῦ δὲ τοῦτο πράττοντος*: cf. Stallbaum. ad h. l. et van Heusdii Initia doctr. Platon. T. I, p. 59 sqq.

149) Sic Meiners l. c. T. II, p. 348: *so muſs man diese Nachrichten so auslegen, daſs Sokrates die Tonkunst, worin er in seiner Kindheit unterrichtet worden, in der Folge noch immer mehr und mehr zu vervollkommnen, oder daſs er das, was er in seiner Kindheit gelernt und nachher vergessen, zulezt wieder zu erlernen gesucht habe.*

150) Sic Bruckerus l. c. p. 525, not. h: *distinguendum itaque inter adolescentiam, qua canendi, et senectutem, qua lyrā cantandi peritiam Socrates acquisivit* etc.

151) Locus est Luciani de Saltat. c. 25: *ὅς γε καὶ τὰ μικρὰ οὐκ ὤκνει μανθάνειν, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰ διδασκαλεῖα τῶν αὐλητρίδων ἐφοίτα καὶ παρ' ἑταίρας γυναικὸς οὐκ ἀπηξίου σπουδαῖόν τι ἀκούειν τῆς Ἀσπασίας*: quem si quis comparaverit cum illo apud Athenaeum V. 63, p. 220 E, facile intelliget haec omnia ex Aeschinis vel Antisthenis dialogis, quorum superius not. 35 memini, ita desumta esse, ut ironia Socratica, cavillatorio more exaggerata, in rei factae speciem callide traducatur, cf. omnino p. 20 sqq.

aut Ammiani quisquam testimonio hac in causa uti potuerit, qui manifesto Socratem cum Solone confudit [152]), aut apud Sextum Empiricum (cf. not. 145) Lamprum sibi invenire visus sit, quem nec temporum rationes nec Platonis auctoritas in Menexeno (cf. not. 58) Socrati magistrum dari patiuntur, licet Sexto is ipse Platonis locus memoriam turbasse videatur, ut pro Conno, quem in mente habebat, Lamponem nihili hominem scriberet [153]). Unus superest Damon musicus, quem quia Socrates ipse apud Platonem identidem amicum et familiarem appellat [154]), nec Diogenem reprehendimus, qui eum pro more suo inter philosophi magistros retulit [155]), neque omnino pudeat Socratem ejus necessarium

152) Is scilicet XXVIII. 4, p. 576 Gronov. narrat *Socratem destinatum poenae conjectumque in carcerem perrogasse quendam scite lyrici carmen Stesichori modulantem, ut doceretur id agere dum liceret, interrogantęque musico, quid ei poterit hoc prodesse morituro postridie, respondisse: ut aliquid sciens amplius e vita discedam;* ubi licet aliquid ex Phaedone Platonico scriptori obversatum esse videatur, verum tamen fabulae fontem dudum viri docti indagarunt apud Stobaeum in Floril. XXIX. 58, p. 200: *Σόλων ὁ Ἀθηναῖος παρὰ πότον τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ μέλος τι Σαπφοῦς ᾄσαντος, ἥσθη τῷ μέλει καὶ προσέταξε τῷ μειρακίῳ διδάξαι αὐτόν· ἐρωτήσαντος δέ τινος, διὰ ποίαν αἰτίαν τοῦτο ἐσπούδασεν, ὁ δὲ ἔφη· ἵνα μαθὼν αὐτὸ ἀποθάνω:* nisi quod Socratem Solonis dictum iterasse volunt, cujus rei in omnibus, quae de extremis illius diebus novimus, neque causa neque occasio ulla apparet.

153) De Lampone enim vate, quem ex Aristophane, Plutarcho, aliisque novimus, cogitari non posse viri docti recte perspexerunt; quod tamen plerique Menagium ad Diog. L. II. 51 secuti Lamprum in ejus locum substituerunt, cujus disciplinam Socrates in Menexeno suae protinus opponit, quam inepte factum sit, jam Lessingius in Leben des Sophokles herausg. von Eschenburg. p. 57 sqq. adeo demonstravit, ut ne verbo quidem amplius opus sit.

154) Lach. p. 180 D et 197 D; Republ. III, p. 400 B et IV, p. 424 C.

155) Cf. Diog. L. II. 19, qui Alexandrum Polyhistorem in *διαδοχαῖς* auctorem affert, nisi hoc testimonium ad Archelaum potius pertinet, in quo ipso ejusmodi *διαδοχὴν* quaesitam videri sup. pag. 44 monui; Diogenem sequitur Suidas p. 3368.

haberi, quem summus ille Pericles in ipso rerum fastigio constitutus sedulo audivisse omniumque suorum consiliorum in re publica socium habuisse dicitur [156]); fidium autem tractandarum artem ob eandem causam nec Periclem nec Socratem ab eo didicisse dixerim [157]), tantumque abest ut ipsius nomen apud Sextum tanquam vilis citharistae in Lamponis locum substitui possit [158]), ut eo ipso tempore, quo Socrates senex ludum fidicinium frequentasse credebatur, fortasse ne Athenis quidem adfuerit, sed in exsilio degerit, quo propter novarum rerum suspicionem per ostracismum ejectus fuerat; quod si quis quaerat, qualis tandem utriusque consuetudo fuerit, Plato ita respondebit, ut facile intelligamus et ipsum inter eorum aequalium numerum referendum esse, quorum colloquiis Socrates ad excolendum ingenium rerumque cognitionem promovendam libenter usus sit, quos tamen qui omnes magistrorum nomine appellare voluerit, videat ne ipse eorum quorum minime velit discipulus dicatur.

---

156) Cf. Plat. Alcib. I, p. 118 C pluraque apud Suevernium über Aristoph. Wolken p. 60, Sintenis. ad Plut. V. Pericl. p. 68 et Meierum in Erschii et Gruberi Encycl. Sect. III, T. VII, p. 186.

157) Insignissimus locus est Plutarchi V. Pericl. c. 4, quem si rectius quam a Sintenisio factum est interpunxeris, hanc sententiam reperies: plurimos quidem Damonem Periclis praeceptorem in arte musica perhibere, accuratius tamen Aristotelem ita distinxisse, ut exercitationem artis a Pythoclide eum accepisse narraret, Damoni autem musicae professionem praetextum tantum fuisse diceret, quo civilem prudentiam magnosque spiritus obtegeret: τῷ δὲ Περικλεῖ, inquit, συνῆν καθάπερ ἀθλητῇ τῶν πολιτικῶν ἀλειπτὴς καὶ διδάσκαλος.

158) Ut Hemsterhusio visum in Anecdd. p. 232 et Winckelmanno ad Plat. Euthyd. p. XLII, qui tamen quod ad Lachetem provocat, oblitus est illic inter νεωτέρους Socratem referri (p. 180 D), quem ipsius conjectura βαθύγηρων demum Damonis disciplina usum esse velit.

Jam vero redeamus ad id cujus causa ipsa haec proludendi opera suscepta est. Instat enim in d. xx Augusti

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORALIS, CONSORTIS REGIMINIS HASSIAE, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

FRIDERICI GUILIELMI

natalis, pie et cum summa divinae providentiae veneratione celebrandus, cujus diei splendorem vir illustrissimus et clarissimus, collega conjunctissimus,

EDUARDUS PLATNER,

J. U. D. ET P. P. O.

oratione in auditorio majori habenda illustrabit. Hujus igitur sacri ceremoniis ut frequentes adesse, oratorem publice constitutum audire, bonaque vota concipienti favere velint *magnificus Academiae Prorector, Professores omnium ordinum, summe venerabiles, illustres et consultissimi, experientissimi, excellentissimi, quotquot praeterea in quocunque honoris ac dignitatis gradu constituti bene Academiae cupiunt et bonis artibus favent, cives denique, Minervae sacris operantes, ornatissimi atque suavissimi,* ea qua par est observantia oro rogoque.

Marburgi d. xv Augusti MDCCCXXXVII.